

NYPL RESEARCH LIBRARIES
3 3433 08160971 5





STUDIA TIBULLIANA.

DE LIBRI SECUNDI EDITIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXXI MENSIS JULII A. MDCCCLXXXVIII
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
RICHARD ULLRICH
MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

A. MEYER, DR. PHIL.
O. BRUECKNER, CAND. PHIL.
P. TRAUTWEIN, STUD. PHIL.

BEROLINI
W. WEBER.
1889.

STUDIA TIBULLIANA.

DE LIBRI SECUNDI EDITIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXXI MENSIS JULII A. MDCCCLXXXVIIII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RICHARD ULLRICH

MARCHICUS.


ADVERSARII ERUNT:


A. MEYER, DR. PHIL.
O. BRUECKNER, CAND. PHIL.
P. TRAUTWEIN, STUD. PHIL.

BEROLINI

W. WEBER.

1889.





Berolini, typis expressit W. Pormetter.

AEMILIO HUEBNER

IOHANNI VAHLEN

Tibulli carmina quibus auxiliis et rationibus recensenda sint cum primus Lachmannus[1]) vir singularis splendide docuerit, firmaverit tum Hauptius[2]), denique Hillerus[3]) assumptis eis codicibus quos Baehrensius[4]) in lucem protulit (quamquam editione[5]) ab ipso curata libere emendando meriti fructum mirum quantum perdidit) nuper docte praedicaverit, iam nisi forte novi iique eis qui extant fontes meliores ac vetustiores prodeunt, exploratum fere habere licet.

Eis autem qui interpretando hunc poetam iuvare cupiunt quantum et post Disseni[6]) viri doctissimi commentarium locupletissimum relinqueretur cum idem Lachmannus[7]) tum praeter ceteros Vahlenus[8]) et Leo[9]) ipsi multa non minore ratione quam acumine explicantes clarissime probaverunt. Atque patet ex horum quaestionibus criticos non raro ea de causa carminibus tersissimi poetae nocuisse, quod rationes vel opiniones extrinsecus petitas admiscentes non ea qua decet diligentia in carminum ipsorum compositionem inquirebant. Quare factum

1) Albii Tibulli libri quattuor. Berol. 1829.

2) Catulli Tibulli Propertii carmina, cur. J. Vahlen. Lips. 1885[5].

3) Albii Tibulli elegiae cum carminibus Pseudotibullianis. Lips. 1885.

4) Tibullische Blätter, Jena 1876, p. 60 sqq.;

5) Albii Tibulli elegiarum libri duo; accedunt Pseudotibulliana. Lipsiae 1878.

6) Albii Tibulli carmina ex recensione Car. Lachmanni passim mutata, 2 tt. Goetting. 1835.

7) Ueber Dissens Tibull. Kl. Schr. II (1876) p. 145—160.

8) Ueber drei Elegien des Tibullus. Monatsber. d. Berl. Akad. 1878, p. 343—356.

9) Philolog. Untersuch. II (1881) p. 1—47.

est ut non solum carmina variis modis ipsa sive poetam sive medii quod dicitur aevi librarios accusantes plerique vexarent, sed etiam quod in singulis sibi videbantur demonstravisse ad universos libros id referre non dubitarent.

Atque hoc plurimum cadit in librum secundum; etenim cum elegiae quae hoc libro continentur sex num perfectae sint et perpolitae tum liber editusne sit a Tibullo necne ambigitur.

Quare de huius libri editione denuo disserere non inutile esse censeo. Laetor autem atque gaudeo quod tironi ante hos quinque annos contigit, ut primi Vahleni praeceptoris optimi scholis interessem quas habere solet de elegiacis poetis Romanorum, ad quos, praecipue ad Tibullum, in aliis studiis versatus saepe ac libenter recurrebam ita ut audeam quae in hac re mihi videor invenisse ea in lucem nunc proferre, ut iudicent et ii qui me docuerunt quibusque permulta me debere ingenue fateor et alii, qui eisdem studiis delectantur, num fructum quem opera ceperim.

Praemittam autem huic summae quaestioni pauca de libri primi editione, quae quidem mihi non satis enucleata esse videantur, adnectam in appendice quaestiunculam de Martialis epigrammate quodam, quod ad Tibullum spectat; namque existimo utrumque per se utile ad libri secundi editionem accuratius definiendam aliquid valere.

Ac iuvat quae insunt in quaestionibus meis hoc loco breviter comprehendere.

Berolini. Id. Dec. 1888.

Conspectus:

Praemittitur

quaestiuncula de versibus quibusdam Ovidianis qui spectant ad libri primi editionem.

Elegiarum librum primum ab ipso Tibullo editum esse rectissime viri docti credunt, quamquam disserentes quo tempore et quomodo editus sit in varias partes discesserunt. Quod mirum non est, cum in ipsis elegiis perpauca legantur ex quibus certa tempora eruas. Extant autem eiusmodi duo. Elegiam enim tertiam poeta composuit cum Messallam in Asiam secuturus gravi morbo implicitus Corcyrae remaneret, quod factum est uno anno post pugnam Actiacam cum interim Messalla brevi Aquitanos, nempe annis 723/31 exeunte et 724/30 ineunte, devicisset. Altera temporis definitio cadit in elegiam septimam: fasti enim Capitolini exhibent Messallam a. d. VII Cal. Oct. a. 727/27 ex Aquitania triumphasse, cuius triumphi fit mentio in hoc carmine quod Messallae diem natalem quem paulo post egit celebrat.

Iam quaeritur, num quae inter octo ea quae relinquuntur carmina — cum ipsa per se ansas praebeant nullas — et haec duo intercedant rationes, ut si non singulorum carminum tempora certe definire ordinem tamen probabiliter eruere itaque quid extremum sit colligentes quo tempore liber editus sit probabiliter statuere possimus. Quam quaestionem lubricam esse nemo ignorat. Et haec res saepissime a criticis Disseno[1])

---

[1]) l. l. I, p. XVII sqq.

Lachmanno[1]) Gruppio[2]) Ribbeckio[3]), ut alios omittam, nuperrime a Schultzio[4]) viro doctissimo aliis aliter examinata atque exposita cum fastidium fere, ut ita dicam, et desperationem afferret eo nunc videtur deduci ut probabiliter, nedum certe, de ordine aliquid statui posse a plerisque[5]) negetur. Neque tamen persuadere mihi potui ut historiam (venia detur nomini) amorum, qui tum intercedebant inter Tibullum et Deliam, plane missam faciendam esse crederem et sentio eas quas olim secuti sunt Dissenus Lachmannus Gruppius alii rationes adhuc extare. Quamquam autem ingeniosissimorum qui in his studiis versati sunt virorum sententiis non id studeo ut novam ipse adiciam, breviter tamen de his rebus quid sentiam ut ab ipso initio satis pateat praemittam; progrediente autem opusculo hic illic ad hoc recurremus.

Iamque ordinem libri primi elegiarum verisimillimum censeo esse hunc:

IV VIII IX in Marathum puerum scriptae (cf. p. 24 sq.),

X in qua nec Messallae nec Deliae mentio fit (cf. p. 23), sequuntur quinque quae in Deliam scriptae sunt:

III (a. 724/30) I (Delia vidua)

V (a divite amatore irretita)

II VI (nupta)

VII (a. 727/27; in Messallae diem natalem).

Elegiae igitur in Deliam scriptae duobus illis annis certis determinantur. Qui ordo si recte statuitur cum ultra a. 727/27 nullum carmen procedat verisimile est eodem anno vel paulo post universum librum a Tibullo editum esse. Nam poetam qui anno 735/19, ut scimus ex notissimo Domitii Marsi epi-

---

1) l. l. p. 151 sqq.

2) Die römische Elegie. Leipz. 1838, 39. 2 voll. vol. I, p. 165 sqq., 259 sqq.

3) Rhein. Mus. XXXII (1877) p. 445 sqq.

4) Quaestiones in Tibulli librum I chronologicae. diss. Lips. Fuerstenwaldiae 1887, quod opusculum auctoris benevolentia ad me missum est. Cf. Hiller, Berl. phil. Wochenschr. VIII (1888) p. 811—816.

5) Leo l. l. p. 20; Hiller p. 814, n; Magnus, Berl. phil. Wochenschr. VIII (1888) p. 331 sq.

grammate, eodem fere tempore ac Vergilius mortuus est, elegias illas, cum anno 727/27 confecisset, diutius retinuisse vel dubitasse in lucem emittere nec per se credibile est et a veterum more plane abhorret.

Haec igitur ex ipsis carminibus cum probabilitate colligere licet.

Atque accedit testis gravior Ovidius. Qui cum fata ut artiore familiaritate vivum Tibullum amplecteretur non permitterent, quod ipse dolet in carmine eo quo ipsius vitam explicat (Trist. IV, 10)[1]), mortui tamen in carminibus suis saepius mentionem facit. Quare cum in ipsis Tibulli elegiis non multa insint, ex quibus num poeta quae composuit ea ediderit quibusque temporibus colligatur, gaudeamus oportet quod ab Ovidio hac in re aliquantum iuvamur et curandum est ut ea quae de Tibullo nobis tradit[2]) diligenter et religiose examinemus, ne quid fugiat nos quod ad librorum huius editionem valeat. Videamus igitur quid de primo libro Ovidius tradiderit.

In Trist. lib. II versus leguntur hi (463/4):

legiturque Tibullus
et placet et iam te principe notus erat.

Hoc distichon viri docti non recte interpretati sunt, immo ex eis qui de Tibulli vita et scriptis scripserunt complures, velut Dissenus (l. l.) et Teuffelius[3]) ne commemoraverunt quidem; quod me iudice mirum quantum valet ad libri primi editionem quomodo et quo tempore facta sit probabiliter constituendam.

Ovidius Tomis moratus Tristium libro altero Augustum alloquitur ut iram eius leniret. Iam quamquam relegationis Ovidii causa quae fuerit non satis constat, etsi multi in hac quaestione dissolvenda versati sunt, tamen ex compluribus

---

1) vv. 51. 52:

Vergilium vidi tantum, nec amara Tibullo
tempus amicitiae fata dedere meae;

2) Testimonia de Tibulli vita et poesi quae extant et apud Ovidium et alias Hillero quod ex Vulpii editione repetenda curavit debemus gratiam (in edit. p. XX—XXIV).

3) Studien und Charakteristiken etc. Leipz. 1889^2, p. 465—509.

causis una videtur fuisse ea quod Ovidius carminibus[1]), Arte nempe amatoria[2]), quibus lusus admodum obscoenos depingat, Augustum laesit. Et fatetur Ovidius ipsius carmina esse satis lasciva (v. 241 sqq.), neque tamen „*si recta mente legantur*“ obnoxia (v. 275); sed firmans alia quoque causas peccandi dare (v. 281 sqq.) ratusque, quae in vita ipsa opprobrio essent, ea in poesi non culpari (v. 353 sqq.) id quoque in suum usum convertit quod alii scriptores similia composuissent (v. 361 sqq.) et Graeci (v. 363 sqq.) et Romani (421 sqq.). Atque multos qui ante ipsum fuerunt scriptores eroticos enumerans priusquam ad se recurrat (v. 467 sqq.) pluribus commoratur in Tibullo (vv. 447—464). Tradit igitur his versibus qui eis quos exscripsimus duobus concluduntur Ovidius Tibullum identidem talia pinxisse. Quae cum sibi nocuissent illi fraudi non fuisse, legique Tibullum et placere et iam *hoc* (Augusto) *principe* notum fuisse.

Hunc ordinem *legitur*, *placet*, *iam te principe notus erat* nec fortuito posuisse poetam nec, cum duo enuntiata tertio augeret, temporis significationem ob eam unam causam ut versum expleret temere adiecisse in promptu est. Immo gradus suos habent haec tria. Namque Ovidius, ipsius condicionis quam patitur et carminibus suis in se contuluisse videtur (cf. vv. 1—14) recordatus, cum antea multo accuratius quam ceterorum Tibulli carmina quae quidem spectent ad furtivos amores commemoraverit, Tibullum ipsi sibi opponens studet ut quadam vi illum nec hac aetate nec priore quidquam mali passum esse moneat. Itaque verbum verbo fortius reddit ut dicat: Tibullo carmina obscoena quae composuit fraudi non fuerunt; qui non modo nunc legitur, immo placet (sc. cum ego qui non turpiora commiserim relegatus sim) sed etiam, quod maius,

---

1) Hoc ipse dicit poeta alterumque sat obscure adicit crimen (vv. 207 sqq.):

perdiderint cum me duo crimina, carmen et error,
alterius facti culpa silenda mihi:
nam non sum tanti, renovem ut tua vulnera, Caesar,
quem nimio plus est indoluisse semel.

2) cf. vv. 239/40.

iam te principe notus erat. Hoc si respicimus patet tertium *notus erat* eos qui iubent significare nihil nisi *innotuit* non recte sententiarum gradus perspicere. Qui, si vertitur *und war bekannt*, prorsus diruuntur; namque tertium quod gravissimum est, cum isto modo interpretaris, leve fit et si comparatur cum secundo enuntiato „placet" moleste claudicat.

Gradus autem non efficiuntur nisi ita: legitur non modo nunc et placet, immo iam te principe clarus erat vel nomen habebat. Et saepissime quidem ubi dicitur de scriptoribus vel libris eorum „notis" in meliorem partem hanc vocem explicandam esse constat[1]). Ita trium verborum progressus quem desideramus evadit pulcherrimus

Carmina autem num potuit fieri ut nota i. e. clara fierent nisi edita publicique iuris facta? Et hoc quidem certissimum est: Ovidius cum hoc scriberet de editis quibusdam Tibulli operibus cogitavit, non de singulis carminibus seorsum editis, sed de libro primo, quo Tibullus Caesare *iam principe* clarus factus est. Quod quomodo appareat et ex verbis *te principe* et ex versibus omnibus qui antecedunt inde a 447, iam demonstrabo.

Ac verba quidem *te principe* quem annum significent ambigas. Principem senatus se vocatum esse ipse tradit Augustus in indice rerum a se gestarum[2]) quadraginta annis antequam indicem scripsisset. Scripsisse autem Augustum res a se gestas constat paucis ante mortem mensibus a. 767/14 p. Chr., ita ut quadraginta annorum ratione habita annus evadat 726/28; hoc igitur anno princeps senatus factus est.

---

[1]) Unum cf. exemplum e multis Hor. a. p. v. 345 sq.:
hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit
et longum noto scriptori prorogat aevum.

[2]) Cf. Res gestae divi Augusti ed. Th. Mommsen, Berol. 1883^2. Versio Graeca IV, 2—5 (l. l. p. XLV, LXXXIII, 31, cf. conspect. p. 184/5) exhibet haec: *Πρῶτον | ἀξιώματος τόπον ἔσχον τῆς συνκλήτου ἄχρι | ταύτης τῆς ἡμέρας, ἧς ταῦτα ἔγραφον, ἐπὶ ἔτη τεσ|σαράκοντα.* — Inscriptio Latina prorsus fere mutilata (nil extat nisi frg. ERAM) ita suppletur: princeps senatus fui usque ad eum diem, quo scrips]eram [haec, per annos quadraginta. cf. l. l. p. XLIV, LXXXII, 31.

Sed ad principem senatus Ovidium h. l. respexisse nec per se verisimile est et cum a consuetudine quam aliis huius epistolae, ut ita dicam, ad Augustum missae locis servat (cf. vv. 128, 133, 219, 242, 509) tum ab ipsius loci (v. i. p. 21 sqq.) tenore prorsus abhorret; iamque videbimus eos, qui tamen ad annum 726/28 has voces referebant, id tantummodo movisse ut incertas quarum periculum fecerant coniecturas ad *notus erat* pertinentes specie probabilitatis stabilirent.

Ovidius autem cum haec scriberet ut ad Tibulli librum primum editum ita ad Augusti principatum, ut ipse aliis huius Tristium libri locis aliique illius aetatis scriptores saepissime, i. e. a. 727/27 spectavit, quo (a. d. XVII. Cal. Febr.) Octavianus nomine Augusti[1]) appellatus est. Sed negari non potest, si ita rem intelligimus, difficultates quasdam restare. Nam qui factum est ut Tibullus a. 727/27 (mens. Ianuar.) iam clarus esset i. e. opuscula quaedam poetae in lucem prodissent, cum ne primus quidem elegiarum liber, nedum secundus, tum confectus esset, cum carmen septimum autumno huius anni componeretur? Iam igitur dixerit quis, aut de verbis *notus erat* aliter ac nos proposuimus iudicandum esse aut de temporis notione quae inest in *te principe.*

Sed priusquam ipsi has quae videntur non sunt difficultates solvamus, iam quaerendum est, num quid recti ei qui *notus erat* nihil aliud significare volunt Baehrensius et Hankelius viri doctissimi quam *innotuit* et referri iubent ad singulas[2]) quasdam libri primi elegias, quas seorsum opinantur Tibullum

---

[1]) Ipse tradit Augustus ita: quo pro merito meo senatu[s consulto Aug. appe]llatus sum; quod restitutum est ex Graeca versione fere integra: *ἐξ ἧς αἰτίας δόγματι συνκλήτου Σεβαστός | προς[ηγορε]ύθην.* cf. l. l. VI, 16 p. LXXXXIV et LXXXXV, p. 144—149.

[2]) His viris acutius neque tamen recte olim Lachmannus (l. l. p. 154) censuerat: *durch Recitationen und einzelne Abschriften werden schon manche Elegien Tibulls seit 725 bekannt geworden sein. Nur aber auch nicht früher: „iam te principe notus erat“ sagt Ovid. Trist.* II, 464. — Eidem sententiae tamen nuper adstipulatur Reischius vir doctissimus, Wiener Studien IX (1887) p. 119.

complexum esse et edidisse priusquam totius libri editionem pararet, effecerint ita ut dubitantibus persuaderent.

Ac Baehrensius[1]) quidem censet Ovidium ad elegias libri primi Tibulliani I II III (hoc ordine) tres in Deliam scriptas spectavisse; has enim Tibullum lepido libello comprehensas seorsum edidisse ut in se concinnas et orbem tamquam suum efficientes. Quod ut recte diiudicemus num apte vir doctus ordinem elegiarum quae in Deliam scriptae sunt statuerit hunc I II III (V VI) necesse est quaeramus, ut quod ex hoc ordine ille collegit ad versus Ovidii interpretandos refutemus. Iamque etsi in ordinandis his elegiis quot capita tot sensus fuere, unum certissimum, nisi fallor, quo ordo definiatur, recte plerique probare videntur quod in cc. III I Delia vidua est, a divite amatore irretita in V, nupta in II VI. Namque qui de ordinandis his elegiis desperaverunt viri docti (cf. s. p. 8 n. 5) ii in suum usum non recte mihi videntur convertisse, quod dicunt moleste praeter alias res ferri quod nuptiarum Deliae nusquam aperte mentio fiat (Leo p. 20). Quod quam parum valeat recte demonstravit Hillerus (l. l. p. 815 et n.); qui quamquam de historia q. f. amorum dubitat aptissime tamen ita sentit (l. l.): „*Bei der lebhaften und tiefen Empfindung, die in den Gedichten herrscht, wird man wenigstens soviel für wahrscheinlich halten dürfen, daſs die aus ihnen sich ergebende Anordnung in Delias Stellung der Wirklichkeit entsprach, wenn auch in der Behandlung des einzelnen der Dichter frei verfahren konnte und gewiſs auch verfahren ist.*“ Profecto vix quisquam aeque a Tibullo postulaverit ut vitae condiciones ita ut sunt vel fuerunt simpliciter redderet; qui ut poeta omnia poetae more amplificavit et ornavit. Sed id tamen credere debemus eum nihil inseruisse, quod rebus ipsis vel plane vel maxima ex parte obstaret. Namque haec carmina quinque verisimile est non ita ut cyclum quarti libri (IV, 2—7) notissimum uno tenore scripta esse nec ab ipso scribendi initio certo consilio digesta esse[2]) sed cum trium fere annorum (724/30—726/28) intervallum explerent litteris esse mandata

[1]) l. l. p. 16—24, imprimis p. 20 sq.

[2]) De qua re non recte sentit Gruppius, l. l. p. 266.

prout res et animus poetam invitabant. Qui si quid finxit non ita tamen res obscuravit, quin facile quae argumento fuerint condiciones eae investigari atque quae viduam Deliam quae nuptam carmina depinxerint seiungi possint. Has igitur elegias II VI cave ne confundas cum illis III I. Hoc enim quam perniciosum sit nil clarius docet quam quod elegia II a Baehrensio inter I et III interposita est; qui O. Richterum [1]) secutus perperam conicientem Deliam a Tibullo amatam non esse nisi nuptam occaecatus fere elegiam III in fine ponens haec fecit verba (l. l. p. 20): „*Die drei ersten Delialieder bilden ein in sich abgeschlossenes Ganze: sie schildern uns die glückliche Zeit in Tibulls Liebschaft mit Delia.*“ Iam primum si naturam elegiae III sine ira respicimus quis credat Deliam nuptam esse cum primo obtutu pateat amorem quo coniunguntur Tibullus et Delia nullo modo esse turbatum? In extrema praesertim parte (v. 89 sqq.) quanta suavitas, quantus ardor amoris! Num quid acerbi in amore poetae gaudio et spe exultanti iam tum accidisse credamus? Immo qui censent, Deliam cum Tibullus hoc scriberet nuptam iam fuisse, amoenissimae elegiae dulcedinem plane demunt. Hoc initium amoris est qui intercedebat inter Tibullum et Deliam innocentissimam, non solum quod initium elegiae id quod supra (p. 7) significavimus tempus respicit, sed etiam, quod gravius est, quia animum poetae spirat multo feliciorem beatioremque ceteris — ne I quidem excipio. Quod Baehrensius captus opinione carmina eo quo in libris traduntur ordine a poeta scripta esse [2]) iudicat ante III compositum esse. Legimus autem in elegia III haec:

vv. 1. 2: *Ibitis Aegaeas sine me, Messalla, per undas,*
o utinam memores ipse cohorsque mei sqq.
vv. 55. 56: *hic iacet inmiti consumptus morte Tibullus,*
Messallam terra dum sequiturque mari.

---

[1]) Rhein. Mus. XXV (1870) p 518 sqq.

[2]) Idem nuper ex commentariis eorum qui ante ipsum ita iudicaverant repetendum curavit multis verbis, non ita ut crederetur G. Doncieux: „De Tibulli amoribus.“ Paris. 1887. p. 43—60, impr. cf. p. 39 sqq. cf. Magnus l. l.

Iamque meminimus haec scripsisse Tibullum a. 724/30, cum Messallam in Asiam secuturus aegrotus Corcyrae[1]) remansisset. Quibuscum conferas velim versus qui in elegia I leguntur hos:

vv. 3. 4: *quem labor adsiduus vicino terreat hoste,*
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
vv. 25. 26: *iam modo iners*[2]) *possim contentus vivere parvo*
nec semper longae deditus esse viae,

praeterea vv. 53—56:

te bellare decet terra, Messalla, marique,
ut domus hostiles praeferat exuvias:
me retinent vinctum formosae vincla puellae,
et sedeo duras ianitor ante fores.

Jam patet Tibullum cum tales versus elegiae I insereret condicionis quae est in III recordatum esse. In III Messallam secuturus est bellum gerentem, in I puellae amore vinctus a bello plane se abdicat. Apparet igitur Tibullum cum I scriberet illius condicionis meminisse ea mente ne iterum cohortem sequeretur. Huc accedit quod amor, integer in III, in I paullulum turbatus esse videtur; quo spectant verba *et sedeo duras ianitor ante fores.* Haec enim Schultzius (l. l. p. 40) non pertinere ad nuptam Deliam — ut voluerunt Lachmannus (l. l. p. 152) O. Richterus (l. l.) Baehrensius (l. l.) — sed cogitandum

---

[1]) Non crediderim Leoni id tantum concedenti hoc carmen condicionem Corcyraeam depingere, Corcyrae scriptum esse neganti. Namque finem praesertim suavissimum quem modo laudavimus si respicis, graviore probabilitate existimaveris scriptum esse a poeta qui, cum res non permitterent ut ipse iam amplecteretur puellam dilectissimam, acri animo vegetoque colore qualis futurus esset ille status fingebat pingebatque quam ut tibi persuaseris poetam posteaquam Romam rediit prioris condicionis recordatum tum demum ut haec scriberet animum induxisse. Neque vero id improbare videtur sententiam meam quod dicit Leo: „*Einem Kranken und Einsamen möchte ich nicht so viel Freiheit des Geistes und reine Stimmung zutrauen wie aus diesem Gedicht spricht*"; qui num Goethii elegias Romanas apte in suum usum converterit dubito.

[2]) Hoc recte Vahlenus (l. l. p. 354) in textum recepit pro traditis lectionibus ut variis ita corruptis.

esse de amatore quodam, divite fortasse eodem qui ipse occurrit in c. V, cui iam tum Delia se dedidisset, probabiliter statuit[1]).

Iam videtur expositis his constare c. III prius esse I. Ac si quis dubitat de rebus, de fictione immerito dubitaverit quam luce clarius est eam esse in I, ut quae in III leguntur ea iam scripta esse sumantur.

Sed multo maiori offensioni est quod Baehrensius inter cc. I et III interponi iubet c. II. Quid? elegiam II, in qua nuptam Deliam depingi patet legimusque custodes positos esse a marito scilicet (cf. vv. 5, 15) absente (v. 65 sqq.)[2]) ita ut ne admittatur quidem Tibullus ad domum adiens precibusque frustra adhibitis exsecretur (v. 7 sqq.) ira incensus, credamus ordine temporum priorem esse III suavissima? Immo condiciones diversiores sunt quam ut hic ordo I II III statui possit[3]), et elegiam II posteriorem esse condicione non modo I, sed etiam V — quod in transcursu — apparet.

Quod si constat elegias I II III hoc ordine scriptas non esse, cum praesertim II in qua nupta Delia occurrat ad hunc conexum minime quadret, Baehrensii coniectura plane refellitur. Etenim cum per se incredibile sit Tibullum pauca quaedam

---

1) Hillerus (p. 815) non inepte conicit cogitandum esse de Delia ad tempus aspera.

2) Haec sententia est vexatissima. Iam quod olim coniecit Vossius vir humanissimus (Albius Tibullus und Lygdamus, Heidelbg. 1811, p. 165) ductus opinione a v. 65 novam elegiam incipere, poetam ipsum se allocutum esse his *ferreus ille fuit qui* sqq. vix quisquam hodie crediderit; id quoque quod plerique interpretes inde a Broukhusio ad Dissenum censuerunt cogitandum esse de priore quodam amatore, qui relicta Delia in Ciliciam profectus esset, parum satisfacit. Neque quod nuper sententiam in universum interpretatus est Leo vir sagacissimus (l. l. p. 37) ita: „*σιδήρειος ἐκεῖνος ἂν ἦν ὅστις Δηλίᾳ συζῆν ἐξὸν τὸν ἐκ πολέμου ὄλβον προυτίμησεν*“ primo obtutu arridens mihi persuasit, cum sententia non sit „*σιδήρειος ἐκεῖνος ἂν ἦν ὅστις*“ sed „*σιδήρειος ἐκεῖνος ἦν*“ i. e. non quod dicimus *der müsste eisernen Sinnes sein, der* . . . . sed *der ist fürwahr eisernen Sinnes gewesen, der* . . . .“. Unum restat ut hoc referamus ad maritum qui in Ciliciam abiens custodes illi posuit.

3) cf. Ribbeck. l. l. p. 446.

carmina lepido cyclo comprehensa seorsum edidisse et cum librum I ederet iterum ceteris adiectis in lucem emisisse (namque haec ratio[1]) a veterum more plane abhorret), si respicimus eas quae ita adnectuntur elegias ne obtemperare quidem huic ordini eo gravius offendimur. Atque aliud, quod summum est, accedit. Baehrensius enim, ut alii, plane neglexit quaerere, qua via Ovidius ad sententiam *et iam te principe notus erat* pervenerit. Poeta autem versibus qui antecedunt (447 sqq.) praecepta furtivi amoris a Tibullo data ad verbum fere repetiit iisque non ita elegias eas quas affert Baehrensius I II III (quamquam in II pauca huiusmodi leguntur, cf. v. 17 sqq., 21 sqq.) respexit ut complures versus elegiae Tibulli libri primi VI (paucos V) carmini suo inseruit hos:

Tibullus:	Ovidius:
VI, 7. 8:	447/8:
illa quidem tam multa negat, sed credere durumst:	*credere iuranti durum putat esse Tibullus*
sic etiam de me pernegat usque viro.	*sic etiam de se quod neget illa viro:*
9. 10:	449/50:
ipse, miser, docui quo posset ludere pacto	*fallere custodem demum docuisse fatetur,*
custodes: heu heu nunc premor arte mea.	*seque sua miserum nunc ait arte premi:*
25/6:	451/2:
saepe, velut gemmas eius signumque probarem,	*saepe, velut gemmam dominae signumve probaret,*
per causam memini me tetigisse manum:	*per causam meminit se tetigisse manum:*

1) Vereor ne simile quid non invenias; etenim quod Catulli librum qui unus est critici alii aliter dissecandum curaverunt de recta via prorsus aberravere.

Tibullus:	Ovidius:
19/20:	453/4:
neu te decipiat nutu, digitoque liquorem	*utque refert, digitis saepe est nutuque locutus,*
ne trahat et mensae ducat in orbe notas.	*et tacitam mensae duxit in orbe notam:*
13—16:	455/8:
tum sucos herbasque dedi quis livor abiret	*et quibus e sucis abeat de corpore livor,*
quem facit inpresso mutua dente Venus.	*impresso fieri qui solet ore, docet:*
at tu fallacis coniunx incaute puellae,	*denique ab incauto nimium petit ille marito,*
me quoque servato, peccet ut illa nihil.	*se quoque uti servet, peccet ut illa minus.*
31/2:	
ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,	
instabat tota cui tua nocte canis.	
V, 71/4:	459/60:
non frusta quidam iam nunc in limine perstat	*scit, cui latretur cur solus obambulet, ipse,*
sedulus et crebro prospicit ac refugit,	*cur totiens clausas excreet ante fores:*
et simulat transire domum, mox deinde recurrit	
solus et ante ipsas excreat usque fores.	

Ex his satis superque apparet non solum Ovidium, cum relegatus Tristium hunc librum secundum componeret (nam tum Tibullus inter vivos iam non erat) et eos ad quos scripsit Tibulli libri primi elegiae VI (et V) notitiam habuisse ex universo libro primo edito, sed etiam iis temporibus, ad quae

spectant verba *et iam te principe notus erat*, Augusti principatus initium dico, carmen VI (et V) pervulgatum fuisse scilicet cum inesset in libro primo. Sed quid vellet Ovidius cum hos versus laudaret Tibullianos, ne Schultzius quidem recte intellexit ratus *id fuisse consilium Ovidii ut id carmen* (VI) *quo Tibullus in omnium manus venerat in memoriam legentium revocaret* (l. l. p. 38). Certe Ovidius versus 447—460 ad verbum fere exscripsit ex Tibulli elegia VI (et V) quod erant aptissimi ad genus illud furtivi amoris illustrandum; addere autem potuit plures ex c. II et elegiis in Marathum scriptis — nam in his quoque praecepta talia leguntur — sed comprehendit ea quae pluribus exposuerat his:

461/2: *multaque dat furti talis praecepta docetque*
qua nuptae possint fallere ab arte viros.

Quibus cum adnectat *nec fuit hoc illi fraudi sqq.* non solum ad carmen VI respicit, sed quaecunque ille tali arte composuerit et ediderit libro primo comprehensa (cum in secundo libro pauca huiusmodi legantur) petit ab Augusto ut reminiscendo recognoscat, nam principe eo illa iam pervulgata fuisse, et se ipsum qui in Arte amatoria similia composuerit si fieri possit aliqua ex parte excuset. Schultzius autem recte refutans (l. l. p. 39) istam Baehrensii (quae spectat ad cc. I II III) opinionem ipse sibi repugnat cum dicat „*non dubium sibi esse quin ipse eo* (c. VI) *Tibullus famam quandam acquisiverit, id igitur et ipsum ante a.* 726/28 *publici iuris factum sit sequi (ex Ovidii versibus)*“ et pergat „*neque tamen inde sequitur Tibullum elegias edidisse singulas aut paucas tantum comprehensas; multo veri similius videtur eum, ut tum mos erat scriptorum, carmina sua amicis quo in numero erat Ovidius recitavisse quo factum est ut mox innotescerent*“. Nam aliud est amicis carmina legere ita ut horum perveniant in notitiam, aliud publici iuris facere, qua de re dicere Ovidium supra exposuimus, ita ut omnes cognoscant[1]). Jam elegiam VI ante

[1]) Hankelius vir doctissimus iudicium faciens de Schultzii dissertatione parum recte ei assentitur ita: „*Tibulls Name ist nunmehr* (726/28) *in Rom bekannt.*“ (Wochenschr. f. klass. Phil. V (1888) p. 172.)

a. 726/28 scriptam esse nemo est qui neget utique; quamquam ne iuvamur quidem versibus Ovidii ita ut hoc ponamus ipsaque ratio, cum cc. I V II VI inter annos 724/30 et 727/27 constet composita esse, docet carmen VI, quippe quod extremum locum obtineat, non multo ante VII (cf. p. 25 sq.) scriptum esse. Sed tamen edita est haec elegia nec sola nec quibusdam aliis adiunctis sed una cum omnibus quae hoc libro continentur a. 727/27 exeunte[1]). At Tibullum carmen quod composuerat priusquam libro insertum ederet communicasse cum amicis[2]) concedi potest — quamquam quibuscum equidem nescio. Messallam enim, de quo cogitaveris, verisimile est tum in Asia afuisse, de Ovidio autem, ut credit Schultzius (p. 39), ne cogitari quidem potest, quippe qui ipse postea queratur (cf. p. 9 n. 1) quod fata amicum se fieri Tibullo non passa sint. Quod etiamsi ille non monuisset tamen crederemus. Etenim cum Tibullus moreretur ille vicesimum tertium annum agebat[3]) et ne tum quidem scimus num societati illi quam vocant Messallae iam interfuerit, itaque multo minus credibile est anno 726/28 a Tibullo Ovidium adulescentulum, puerum fere, qui decimum quintum annum agebat dignum existimatum esse cui carmen quoddam priusquam in publicum prodiret recitaretur; quare Reischius vir doctissimus cui plane assentior recte haec sensit (l. l. p. 119): „*Er* (Ovid) *hatte 726/28 und 727/27 gewiss noch wenig Anteil an der zeitgenössischen Litteratur genommen und scheint überhaupt erst in den Jahren 732—35 in nähere Berührung mit den leitenden litterarischen Kreisen gekommen zu sein.*"

---

1) Miro modo Doncieux (l. l. p. 11 n. 1) censuit incredibile esse librum universum a Tibullo ipso editum esse, quod elegiae IV ordo perversus esset! Quam coniecturam vir doctus (qui captus est Ritschelii quaestione acutissima) missam facere potuit si Vahleni de hac elegia quaestionis (l. l. p. 346 sqq.) notitiam habuisset.

2) cf. p. 12 n. 2.

3) Perperam adnotat Plessis (Études critiques sur Properce et ses élégies, Paris 1884, p. 204 sq. n. 2): „*Ovide n'avait que quatorze ou quinze ans quand Tibulle est mort.*"

His autem expositis patet criticos, Baehrensium plane magna ex parte Schultzium, ea quoque de causa in errores deductos esse quod sententiam *et iam te principe notus erat* ad Augustum principem senatus referri utique volebant. Quod si interpretabantur: *Tibullus priusquam Augustus princeps senatus*, i. e. a. 726/28, *fieret iam notus erat* facere non poterant quin de toto libro, quem post autumnum a. 727/27 editum esse non ignorabant, dubitantes ad singula carmina seorsum edita spectarent. Sed cum docuerim *notus erat* hanc interpretationem non ferre, clarum fit temporum ratione habita de senatus principe cogitari non posse. Loci autem tenorem, ut attigimus p. 12, videbimus principem κατ' ἐξοχήν i. e. imperatorem flagitare. Sed quomodo difficultates in quas etiamsi hunc principatum i. e. a. 727/27 probamus incidere videbamur (s. p. 12) dissolvamus?

Equidem de hac re ita sentio: Ovidii, cum haec scriberet Augusti animum mitigaturus, non id intererat ut quo tempore Tibulli liber primus editus esset itaque innotuisset ad mensem et diem accurate definiret. Et interpretes, nisi sensus me fallit, plus aequo in duobus his versibus haerentes (quasi Ovidius nil nisi Tibulli librorum tempora respicere voluisset) quibus de causis Ovidius ad hanc sententiam quae spectat ad Tibulli carmina ita formatam ductus esset quaerere plane neglexerunt. Hoc autem primum tenendum est ex eoque proficiscendum, etenim si hanc rei summam recte perspexerimus iam singula qua ratione posita sint facilius intelligemus. Iam primum haud ignorabat Ovidius a. 727/27 ineunte Octavianum nomine Augusti vocatum esse itaque summa munera i. e principatum κατ' ἐξοχήν et quaecunque ad hanc dignitatem pertinebant potestates adisse. Haud ignorabat tum Tibullum eodem anno (quamquam novem fere mensibus post) librum primum edidisse. Itaque ipsius illiusque sortes diversas ea qua diximus supra ratione (p. 10) ut compararet vel opponeret, recordatus Augustum, cum laesus esset, principis potestate graviter usum esse in ipsum, in illum non modo lenius sed benevolentissime se gessisse, movetur eo quod sciebat Augustum

principem fuisse priusquam Tibullus librum primum ederet. Hoc si tenemus facere non possumus quin interpretemur ita: Tibullus (inde a v. 447) res quae offensioni essent similes atque ego depinxit, quae tamen illi non nocuerunt immo (v. 463) et nunc legitur placetque — sc. cum ego relegatus sim — te probante principe, et iam antea, nempe cum librum primum praeceptorum istorum plenissimum edidisset, et iam tum tu eras princeps, clarus habebatur. Qua in sententia subintelligimus: In me cum princeps esses et sis eoque ipso morum tutor (cf. v. 233/4) gravissime invectus es et inveheris, ergo si voluisses illum quoque iam tum eadem atque postea (nempe cum me relegares) et adhuc potestate functus multare potuisti similia committentem: sed non fecisti, immo illi carmina non ita ut mihi fraudi fuerunt. Particula *iam* igitur ad utrumque pertinet *te principe* et *notus erat.* Ad sententiam *notus erat* particula spectat ut oppositio quae est in temporibus: non solum nunc legitur placetque, sed etiam antea notus erat, eo fortius illustretur, ad *te principe* autem ut gradatio quae est in rebus: Tibullus quamquam similia atque ego depinxit tamen primum legitur tum placet (te probante) tertium immo cum librum ederet eo tempore, quo tu princeps modo factus eras, tripartita gravissimo cumulo augeatur. Hoc modo interpretemur necesse est; etenim si, quod primo obtutu arridere videtur, particulam *iam* ad unam sententiam *notus erat* referimus, manifestum est in eundem nos ac Baehrensium incidere errorem etiamsi, cum perperam ille a. 726/28, recte a. 727/27 respicimus. Sententia autem in eo posita est quod Augusti principatus initium prius fuit Tibulli libri primi editione, et utrumque, praesertim cum paucorum mensium intervallo segregaretur, aptissime poeta et tempore et re ita coniunxit ut opposuit.

His expositis ea quae Hankelius similem ac Baehrensius rationem secutus ex his versibus collegisse sibi videbatur facilius intelligemus similiter reicienda esse. Qui vir doctissimus censet[1]) Ovidium de panegyrico Messallae et elegia X

---

1) Acta societ. phil. Lips. V (1875) p. 86.

(quam esse primam fortasse omnium, priorem certe eis quae in Deliam scriptae sunt recte credunt) cogitasse: etenim si ante a. 726/28 elegiae in Deliam scriptae, quibus maximam Tibullus laudem sibi peperisset, editae iam fuissent, Ovidio non dicendum fuisse *notus erat* sed *clarus erat*. Quam difficultatem quae videtur Hankelius ita tollit, ut Tibullum anno 726/28 primam suam elegiam (dico X) scripsisse sumat: eum enim qui et epicum carmen (panegyricum) et elegiam (X) composuisset et in lucem protulisset non clarum sed notum fuisse appellandum. Ex quibus id unum concedendum est, elegiam X primam[1]) esse compositam, quamquam de anno 726/28 ne cogitari quidem potest. Etenim si hoc quoque viro docto concedimus, temporum rationes quas in elegiis libri primi digerendis necesse est sequamur (cf s. p. 8 sq., 13 sq.) denuo confunduntur. At elegias quae in Deliam scriptae sunt III I V II VI omnes fere (praeter VI fortasse) ortas esse ante a. 726/28 compertum si habemus et, ut dubitet quispiam num ordo harum quinque apte ita statuatur, recte credunt III a. 724/30 Corcyrae scriptam esse, quod construxit vir doctus non stare id in promptu est — tum quoque si iudicaremus Ovidium ad singula quaevis carmina seorsum edita respicere potuisse. Et aliud accedit. Cum inter eos qui Tibulli carminibus operam dabant iam constaret fere panegyricum Messallae a Tibulli, etiam adulescentis, arte plane abhorrere et a versifice quodam confectum esse qui Messallae gratiam conciliare sibi videbatur, Hankelius tamen denuo dedita opera acumine quodam opusculum vilissimum defendere et Tibullo indignum non esse novis argumentis firmare conatus est (l. l. p. 47 sqq.). Quod quam non contigerit ei ut aliis persuaderet R. Richterus[2]) aptissime docuit, ita ut vix quidquam quod huius iudicio adici possit relinquatur et haec ipsa causa satis idonea sit quae Hankelii rationes refellat. Neque vero, ut sumatur panegyricum istum reapse Tibulli esse, aliae non obstant difficultates. Nam quod ille

---

1) Si omittimus elegias Marathi; cf. p. 24.
2) Burs. Jahresbb. X (1877, II) p. 282 sqq.

ponit panegyricum et elegiam X carmina ut ipse censet trium[1]) annorum spatio seiuncta eodem tempore a. 726/28 seorsum a ceteris in lucem a Tibullo emissa esse, cum ipsum ne speciem quidem probabilitatis habeat poetam duo carmina inter se diversissima edidisse comprehensa (argumenta nec attulit vir doctus nec potuit) multo magis id docet Hankelium quid vellet Ovidius prorsus non intellexisse; quem ad elegias quae ad Deliam pertinent, VI imprimis, respicere exposuimus. Videmus igitur criticum ad errorem perductum esse eadem causa ac Baehrensium, quod duobus versibus Ovidianis e contextu exemptis eos qui autecedunt plane neglexit ipsorumque tenorem, qui quomodo spectet ad principatum *κατ' ἐξοχὴν* exposuimus, non satis perspexit acute illum quidem excogitatum non minus quam gradatim auctum explanatumque. Quo factum est ut ne rectam quidem sententiae *notus erat* significationem, cum sentire videretur, quomodo ex opinione sua colligeret haberet neque vero habere posset.

Iam dubitari non potest quin Tibulli liber primus non multo post Augusti principatus initium editus sit nisi quis dicat elegias Marathi tres IV VIII IX difficultates parare; quod equidem dissuadeo.

In his autem elegiis ipsis cum nulla extet temporis definitio viri docti in duas sententias discesserunt; alii ut Teuffelius (l. l. p. 477 sqq.)[2]) censent eas scriptas esse ante elegias Deliae, alii ut Dissenus (l. l. p. XX) Baehrensius (l. l. p. 22) paulo antequam liber primus ederetur. Quamquam qui in his rebus post illos versati sint plerique Disseno et Baehrensio adstipulantur[3]) fateor me tamen in alteram sententiam adhuc inclinare quam nuper Huebnerus vir doctissimus stabilivit[4]). Hic enim probabiliter exposuit Tibullum in his

---

1) Constat panegyricum Messallae postquam hic consulatum iniit sed ante pugnam Actiacam scriptum esse aestate a. 723/31.

2) cf. Scheidemantel, Commentatt. philoll. quibus Ottoni Ribbeckio etc. congratulantur discipuli Lipsienses, Lips. 1888 p. 375.

3) cf. Hankel l. l. (Woch. f. kl. Phil.) p. 172.

4) Herm. XIV (1879) p. 311.

elegiis Alexandrinos, quorum vestigia in ceteris non extant[1]), imitatum esse; verisimilius igitur eas poetae discenti quam omni ex parte perfecto tribui. Hillerus autem vir humanissimus qui negat (l. l. p. 816) ex hac re probabiliter ansam sumi ad Marathi elegias ante Deliae ponendas et monet imitationem Alexandrinorum in ipso c. VII elegiis Deliae posteriore legi — nam verba „*Memphiten plangere docta bovem*“ (v. 28) hausta esse ex Callimachi frgm. 176: „*εἰδυῖαν φάλιον ταῦρον ἰηλεμίσαι*“ — vereor num recte collegerit. Namque si reapse Tibullus h. l. Callimachum sive consilio sive casu secutus est hocine non iam probat id carmen tempore ad Marathi elegias propius accedere praesertim si respicis Tibullum ad hoc componendum non ipsius rebus intimis motum esse sed fautoris die natali, quem grandiloquo ut dicam modo celebrat qui ab ipsius scribendi natura admodum alienus est[2]). Atque cum argumentum eum moveret ut Aegyptum, ubi Messalla res gesserat, luculenter illustraret facilius fieri potuit ut Alexandrini poetae aliquid carmini suo insereret. Quod igitur impedimento non est quin multis annis post elegias Marathi compositum esse carmen sumamus. Quo res quoque mihi spectare videntur. Etenim quod plerique credunt „*Tibullum ad hos frivolos lusus post Deliae amorem cum vacaret melioribus sensibus nec puellam haberet delatum esse*“[3]) mihi quidem, quamquam certis causis nec defendi nec refutari potest, per se ineptum videtur. Et credamus Tibullum cum c. X amoenissimum et Deliae elegias quinque suaves confecisset tum sive ante sive post c. VII librum a. 727/27 priusquam ederet Marathi elegiis tamquam cumulavisse? Quas quamquam nemo negat Tibulli animum spirare potius crediderim iam pridem

---

[1]) Perperam iudicat Hankelius (l. l.): „*als ob nicht alle Elegieen des 1. Buches darauf hinwiesen, dafs Tibull die Alexandriner fleifsig studiert hat.*“

[2]) Non inepte iudicat Leo (l. l. p. 46): „*Wo er gelehrt wird, da tritt er aus seinem Kreise und macht ein hölzernes Gedicht wie das zu Messallas Geburtstage.*“ Quod tamen non ita accipio ut credam — ut Teuffelius et Hankelius — carmen cum vilissimo panegyrico posse comparari.

[3]) Haec sunt Disseni (l. l. p. XX).

confectas fuisse, cum Tibullus id ageret ut quaecunque usque ad a. 727/27 scripserat in libri formam redacta ederet; qui cum hoc negotium subiret eas ut posteris traderentur libro primo hic illic, nescimus qua ratione, inserenda curavit. Quod si vix credibile est inter elegias Deliae haec carmina tria tempore interponenda esse alicubi, probabilius primitias musae Tibullianae habueris. Atque elegiam VII si tempora respicimus extremam libri fuisse eo quoque, nisi sensus me fallit, probatur, quod Tibullus in libri secundi elegia I triumphi Messallae ita mentionem facit ut eius memoria quam recentissima esse videatur. Versus sunt hi (II, 1, 29—36):

vina diem celebrent: non festa luce madere
est rubor, errantes et male ferre pedes.
sed „bene Messallam" sua quisque ad pocula dicat,
nomen et absentis singula verba sonent.
gentis Aquitanae celeber Messalla triumphis
et magna intonsis gloria victor avis,
huc ades adspiraque mihi, dum carmine nostro
redditur agricolis gratia caelitibus.

Et praesertim cum haec elegia aliis quoque de causis[1]) libri secundi ut loco ita tempore prima esse videatur — fortasse vere anni 728/26 composita est — eo facilius intelligimus qui factum sit ut Tibullus, quamquam alias quoque

[1]) Hae causae petuntur et ex ratione, qua elegiae libri secundi digestae et dispositae sunt (de his fortasse alibi disseram) et ex eo quod Nemesis, quam Tibullum post Deliam adamasse carminibusque secundi libri celebrasse constat, in elegia I nondum occurrit. Nam qui censent hunc amorem significari his (v. 70): „*ei mihi, quam doctas nunc habet ille* (Cupido) *manus*" non crediderim eos ex sententia ipsa, quae in universum mihi videtur dicta esse, hoc collegisse; immo puto eos specie plus aequo ductos esse ut numerum quinque elegiarum quae in Deliam scriptae in primo libro leguntur solemnem eundem Nemesi in secundo tribuerent. Quem numerum quinarium praeter ceteros Gruppius in suum usum cum converteret (vocat „*Normalzahl*") in miros errores deductus est, ex quibus unum affero gravissimum, quod c. II lepidissimum, quod aptissime suum locum obtinet, per vim ablatum in quartum q. f. librum transtulit. Sed haec quidem h. l. attingo; demonstrabo, si licebit, integras esse singulas libri secundi elegias certoque consilio digestas — alias.

triumphum Messallae designat, sed paulo obscurius, cf. II, 5, 5 [1]), h. l. tam diserte triumphi mentionem faceret; id enim studebat, ut, cum modo universo carmine (VII) res a Messalla gestas copiose depinxisset, data occasione iterum laudes fautoris caneret. Quod aptissime ita peregit ut non ipse Messallam laudaret sed agricolas eum salvum esse iubentes faceret. Quodsi Baehrensio credimus (l. l. p. 22) elegias Marathi post c. VII scriptas esse a. 728/26 librumque editum 729/25 vel 730/24, non solum rationes quae intercedere videntur inter VII et I obscurantur [2]) sed etiam tempora libri secundi magna ex parte confunduntur (cf. i. p. 48 sqq.). Contra si ita ut exposuimus ratiocinamur, clarum fit Tibullum librum primum paulo post c. VII confectum autumno a. 727/27 edidisse. Quod per se verisimile certum fit si cogitamus librum secundum ab ipso Tibullo (hoc demonstrabimus infra) editum esse ne brevi quidem autequam moreretur (a. 735/19) sed compluribus annis ante (a. fere 730/24).

Itaque — ut omnia quae necesse est respiciantur comprehendamus — si constat nullam libri primi elegiam ultra a. 727/27 procedere, si verisimile est librum secundum a. fere 730/24 confectum et editum esse, si conceditur librum primum secundo esse priorem, denique si non habemus quod Tibullum c. VII confecto omnia editione comprehendisse dubitemus — patet librum primum paulo post c. VII compositum autumno a. 727/27 [3]) editum esse; quo factum est ut Ovidius principa-

---

1) cf. Lachmann. l. l. p. 157.

2) Quare ne C. P. Schulzium quidem sequar censentem eleg. libri secundi I a. 731/23 vel 732/22 scriptam esse (Römische Elegiker, Berl. 1884 [2] p. 72).

3) Perperam nuperrime Olsenus vir doctissimus, ut quod ex versuum comparatione (cf. i. p. 50 sq.) demonstrasse sibi videbatur, ad Tibulli et Propertii librorum tempora definienda in usum suum converteret ratus (prorsus aliter ac plerique) non Propertium imitatum esse Tibullum sed Tibullum Propertium scripsit (Commentt. philolog. in hon. sodal. Gryphiswald. etc. Berol. 1887 p. 31) haec: „*Als Properz die meisten Gedichte des* II.—III. *Buches schrieb, war Tibull noch mit seinem ersten Buche beschäftigt. Es ist also auch so unwahrscheinlicher, dass Tibull dem Properz Vorbild ge-*

tus initium et hanc editionem intervallo brevi segregata ut apte ita graviter ea qua exposuimus ratione eodem versu iungeret.

Ovidii autem his verbis ne obstant quidem eiusdem poetae versus quos scripsit de elegiacorum poetarum Romanorum ordine notissimi hi (Trist. IV, 10, 53 sq.):

successor fuit hic (Tibullus) *tibi, Galle: Propertius illi* (Tibullo),
quartus ab his serie temporis ipse fui.

Ordo est hic: Cornelius Gallus (685/69—727/27), Tibullus (ca. 700/54—735/19), Propertius (ca. 705/49— ca. 739/15), Ovidius (711/43—770/17 p. Chr.). Persuasum autem habeo Ovidium cum hos versus scriberet non cogitasse de libris poetarum quibus temporibus editi essent, namque Propertii liber primus prius editus est Tibulli eodem, nec de ratione temporum quae inter singulos singulorum poetarum libros intercederet, cum ne fieri quidem posset ut hoc tam paucis comprehenderet, sed id unum spectavisse ut, cum ipsius vitam breviter explicaret, quo temporum ordine elegiaci quorum ipse quartus erat fuerint exponeret[1].

wesen ist." Sed quamquam constat Propertii librum I paucis annis (ca. a. 725/29) ante Tibulli librum I editum esse, tamen verisimile est secundum (= II. III Lachm.) anno 727/27 eodem fere tempore ac primum Tibulli in lucem prodisse (cf II (III) 10, 15; II (III) 34, 91 sq.) ita ut credi non possit alterum poetam imitatum esse alterum; neque enim Tibullum Propertii carmina singula novisse priusquam libri ipsi quibus inserta erant ederentur crediderim. De tertio autem Propertii libro ne cogitari quidem potest, quippe qui quinque fere annis post Tibulli librum primum editus sit, cum constet elegiam XVIII ad a. 731/23 spectare. cf. Wilhelm, Wochenschr. f. klass. Phil. V (1888) p. 303.

[1]) Mecum consentit Reischius vir doctissimus (l l. p. 119): „*Ihm schwebte bei Abfassung jener Stelle wohl in erster Linie vor, dass Tibull früher gestorben und wohl auch älter gewesen sei als Properz.*"

De libri secundi editione ab ipso Tibullo curata.

A plerisque hodie negari librum secundum a Tibullo in lucem emissum esse notum est. De qua re cum equidem aliter sentiam, et singulae elegiae ex quibus critici omnia fere in suum usum converterunt quales sint denuo necesse est examinentur et quod plerisque brevior liber esse videbatur utrum recte culpetur necne decet quaerere.

Ad utrumque autem ut paulo confidentius accedamus ad testimonia placet recurrere, num qua satis ipsa iuvent ad quaestionem dissolvendam.

I.

Quid ex Ovidio ad libri editionem redundet.

Ovidius anno 735/19 cum Tibullus „iuvenis" matri sorori amicis morte ereptus esset elegiam, ut alii ob aliorum obitum, ob poetae memoriam composuit (Amor. III, 9). Quae cum digne patefacit quanti Ovidius poetam habuerit tum nostram movet et admirationem poeseos Ovidianae et maerorem quod Tibulli prius quam par erat os obmutuerit. De tempore autem huius epicedii vix dubitaveris; nam quamquam desunt testes ex quibus colligi possit quibus annis Ovidius singula Amorum carmina

composuerit et primam quae quinque libros non tres[1]) complectebatur editionem curaverit, tamen, si carminis tenorem gravissimum doloris sensum qui extat et verborum et sententiarum vehementissimum respicimus, quippe qui adhuc in eorum qui legunt mentibus quasi aculeos quosdam relinquat, iam apparet Ovidium tale scribere non potuisse nisi paulo post mortem Tibulli, qua graviter ipse motus erat, a. 735/19. Neque aliter sensurum crediderim, si quis sine ira sed cum studio ad hoc carmen accesserit, quod ceteras Amorum elegias, ingeniosas illas quidem sed tamen leves et lascivas non raro obscoenas sua luce mirum quantum obscuret. Hoc si primum tenemus iam apparebit quantopere iuvemur. Sed videamus singula.

Legimus in medio carmine haec:

scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
omnibus obscuras inicit illa manus sqq.
adice Maeoniden, a quo, ceu fonte perenni,
vatum Pieriis ora rigantur aquis.
hunc quoque summa dies nigro submersit Averno:
diffugiunt avidos carmina sola rogos.
durat opus vatum: Troiani fama laboris
tardaque nocturno tela retexta dolo:
sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
altera cura recens, altera primus amor.

In hos versus idem fere cadit atque in illos de quibus supra disseruimus „*legiturque Tibullus et placet et iam te principe notus erat*“; nam ne hic quidem viri docti veram sententiam intellexerunt, quod non ita ut par erat qua ratione Ovidius ad vv. 31. 32 in quibus summa rei posita est pervenisset quaesiverunt. Quae ratio ut patefiat versus inde a 19 exscribendos curavi.

---

[1]) Hoc ipsum indicat epigramma quod in fronte posuit Ovidius:

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
tres sumus; hoc illi praetulit auctor opus.
ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas,
at levior demptis poena duobus erit.

Queritur Ovidius a. 735/19 quod ne vatibus quidem, quos praeter ceteros homines dei immortales amarent, fata parcerent: nec Lino nec Orpheo parentes immortales profuisse, Homero quoque vita decedendum fuisse. Sed consolatur: etiamsi poetis ipsis moriendum esset, carmina tamen eorum „*rogos effugere*" i. e. sempiterna tradi posteris; et sicut „*Troiani fama laboris*" et „*tela nocturno dolo retexta*" carmina celeberrima post tot saecula extarent Homerica, *Tibulli* quoque cum ipse mortuus esset *Deliam et Nemesim longum nomen habituras esse.* Iam patet rationes quasdam intercedere inter utrumque distichon (vv. 29. 30 et 31. 32), cum bina utriusque poetae carmina nominentur, Homeri „*Ilias*" et „*Odyssea*", Tibulli „*Delia*" et „*Nemesis*". Haec autem referre non possumus nisi ad Tibulli libros primum et secundum, cum primi summa posita sit in carminibus Deliae III I V II VI, secundi autem elegiae quattuor (praeter brevissimam II, et I de qua adhuc ambigitur, cf. s. p. 26, n. 1) Tibulli et Nemeseos amores depingant. Satis mirari non possum, quod hunc locum interpretes sive silentio praeterierunt sive non ita ut par erat ad librorum editionem referebant; qui mihi videtur gravissimus esse et per se, etiamsi alia testimonia deessent, maxime idoneus ex quo certissime colligatur, cum Ovidius paulo post Tibulli mortem hoc epicedion scriberet, primum librum „*Deliam*" et secundum „*Nemesim*" perfectos et editos fuisse, scilicet ab ipso Tibullo. Hic locus igitur cum primi libri a Tibullo editi, de quo nemo dubitat, novus adicitur testis eis quos supra attulimus, tum in secundum idem cadere clarissime probat ut equidem nesciam quomodo aliter interpretari liceat; et ei qui ex h. l. „*Deliam*" a poeta editam esse sumunt, si miram orationis aequabilitatem respiciunt necesse est idem de „*Nemesi*" sentiant. Sed interpretes nomina tantum Deliae et Nemeseos respicientes et in hoc uno disticho, quod ex contextu eorum quae exscripsi exemerunt, plus aequo haerentes summam rei ne suspicabantur quidem, cum ita locum intelligerent[1]) quasi Ovidius quam primam puellam quam

[1]) velut Teuffelius l. l. p. 469.

ultimam (de qua re cf. i. p. 42 sqq.) Tibullus adamasset commemorare voluisset. Tenor autem orationis docet Ovidium non id spectavisse quas ille cecinerat puellas ut communicaret cum lectoribus — hoc certe ipsos haud ignoravisse apparebit — sed patet eum gaudere, quod contra Mortis terribilem speciem praedicari et in memoriam legentium revocari possit quantopere fata poetis consulerent: quorum si corpora perissent opera tamen nomen reddere sempiternum, et velut Homeri duo carmina heroa immortalia facta essent ita Tibulli „Deliam“ et „Nemesim“ quippe quarum amores litteris mandati essent longum nomen habituras esse. Atque haec verba aliter explicari non posse progrediente quaestione praesertim si eos qui in contrariam partem disseruerunt disseruntque audiverimus, magis magisque patebit.

Sed Hillerus vir doctissimus qui negat librum secundum a Tibullo editum esse (cf. i. p. 63, p. 71 sq.) adnotat haec (praef. ed. p. XIII): „*Ovidium cum elegiam in obitum Tibulli scriberet carminum ad Nemesim pertinentium habuisse notitiam non est quod miremur.*“ Quod equidem reiciendum esse censeo duabus de causis. Nam primum quidem Ovidium carminum quorundam Tibulli nondum editorum notitiam habere non potuisse ut supra (p. 20) demonstravimus contra Schultzium ita h. l. denuo affirmamus. Tum autem, ut notitiam haberet unus e multis, num epicedion huius generis componere potuit in usum lectorum eorum qui in maxima harum elegiarum ignoratione versabantur? Neque vero cogitari licet de singulis carminibus nondum editis; namque quod cum duobus Homericis duo Tibulliana comparantur docet ad opera confecta atque conclusa Ovidium spectavisse. Qui videlicet nihil novi affert eis qui una cum ipso vehementer obitum tersissimi poetae dolebant cum moneat Deliam et Nemesim carminibus ab illo celebratas esse et longum nomen habituras, sed quae illi sciebant ea facultate data laudat ut quantum quisque hoc poeta mortuo amiserit eo gravius in memoriam revocet. Nam carmen est epicedion, in tali autem, quod quidem spectet ad virum illustrem et tum et hodie luctus dolorque quod vir mortuus sit et ad-

miratio memoriaque quod vel res bene gesserit vel scripta digna posteris reliquerit quam disertissime pronuntiari solet. Luce igitur est clarius a. 735/19 non modo Ovidium sed etiam lectores scivisse, Tibullum compluribus carminibus Deliam et Nemesim celebrasse. Notitiam autem non poterant nisi ex libris editis itaque satis pervulgatis sumere. Etenim inter „nota“ quae vocari solent et „edita“ carmina quam non liceret discernere supra exposuimus (p. 11 sqq.); quodsi ipse Ovidius carminum libri secundi Tibulliani priusquam ederetur totus nec habuit notitiam nec potuit habere, lectores multo minus habuisse clarum est. Novit autem Ovidius librum secundum, noverunt omnes. Hoc igitur qui negat, eum nec Ovidii sententias ita ut exposuimus coniunctas recte perspicere in promptu est et in angustias summas venire: nam si unus Ovidius notitiam habuisset „Nemeseos“, nullam ei qui hoc legebant, vereor ne quid vellet Ovidius scribens „*sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt*“ omnino non intellecturi fuerint[1]).

Compluribus annis post hoc epicedion confectum Ovidius quattuor elegiacorum, quos notum est saepius hoc ordine commemorari, Galli Tibulli Propertii ipsius amores quam clari facti sint carminibus vocat ita (Art. amator. III, v. 535 sqq.):

nos facimus placitae late praeconia formae:
nomen habet Nemesis, Cynthia nomen habet:
vesper et eoae novere Lycorida terrae:
et multi, quae sit nostra Corinna, rogant.

Hoc loco Ovidium spectare ad carmina edita, i. e. in librorum formas redacta, ut aliorum poetarum ita Tibulli „Nemesim“ constat et Hillerus quoque (l. l.) concedit. Atque utile est, quid intersit inter hos versus et epicedii eos de quibus disseruimus, intelligere. Compluribus annis post epicedion hos scriptos esse dixi: namque quamquam quo anno Ovidius tres Artis amatoriae libros scripserit et ediderit nescimus, terminus tamen ante quem haec editio curata est extat a.

---

1) Hoc non satis respexit Baehrensius (l. l. p. 48).

753/1[1]). Itaque cum inter elegias Galli Tibulli Propertii ipsius Ovidii (Amores dico) editas et id tempus quo Artem amatoriam scripsit, aliquantum temporis interesset apte dixit: „*nomen habet Nemesis, Cynthia habet, novere Lycorida terrae, multi quae sit Corinna rogant*; quod docet Tibulli librum secundum hoc tempore notissimum fuisse. Atque ut h. l. praesens, ita futurum in epicedio suo loco positum est: „*longum nomen habebunt*". Etenim cum modo Tibullus mortuus esset, Ovidius, quippe qui poetis ipsis inexorabili morte consumptis carmina opponeret sempiterna, tempus aptius quam futurum ponere non potuit; quam orationis formam nos quoque sexcenties sequi consuevimus ita fere: vir est mortuus, opera non interibunt.

Ad Tibulli amores plures, libros primum et secundum, spectat Ovidius altero loco (Remed. amor. v. 763 sqq.), ubi etsi alio studio movetur eosdem ac supra elegiacos quattuor eorumque amores commemorat his:

carmina quis potuit tuto legisse Tibulli
vel tua cuius opus Cynthia sola fuit?
quis poterit lecto durus discedere Gallo?
et mea nescio quid carmina tale sonant.

Oppositio quaedam nisi sensus me fallit intercedit inter vv. 763 et 764: etenim quod Ovidius ad „*Cynthia*", praeter quam Propertium nullam puellam cecinisse (etenim eum plures amavisse velut Lycinnam non est quod negemus) novimus ex ipsius carminibus, adicit „*sola*" subintelligendum videtur Tibullum plures amores depinxisse, Deliam videlicet et Nemesim[2]).

Haec igitur testimonia duo minora — ut ita dicam — quamquam compluribus annis post obitum Tibulli scripta sunt, tamen cum tam certe Tibulli amoris utriusque mentionem fa-

---

1) cf. Remed. amor. v. 155 (a. 753/1); paulo priores sunt Artis amatoriae loci hi: I, 177 sq.; I, 171 sq. cf. Monum. Ancyr. (1883[2]) Latin. VI, 40 p. LXXVI, Graec. 19, 7 p. LXXVII et p. 159; I, 197 sq. cf. Mon. Anc. Lat. VI, 25 p. LXXIV, Graec. 18, 12 p. LXXV et p. 153 sq.

2) Glyceram quoque; cf i. p. 46 sqq.

ciant ut utrumque librum iam pridem in publicum prodisse videantur sumere, aliqua ex parte valent ad versus epicedii (ipso anno 735/19 scripti) qui spectant ad „Deliam“ et „Nemesim“ editas, comprobandos.

Iamque ad epicedion unde exordium duximus recurrimus ut praeter eos versus de quibus disseruimus alios, qui criticorum moliminibus non apte temptati sunt, non minus illos quidem pertinentes ad librorum imprimis „Nemeseos“ editionem examinemus et si fieri potest rectius interpretemur. Versus inde a 47 sunt hi:

sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus
ignotum vili supposuisset humo.
hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
mater, et in cineres ultima dona tulit:
hinc soror in partem misera cum matre doloris
venit, inornatas dilaniata comas:
cumque tuis sua iunxerunt Nemesisque priorque
oscula nec solos destituere rogos.
Delia descendens „felicius“ inquit „amata
sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.“
cui Nemesis „quid“ ait „tibi sunt mea damna dolori?
me tenuit moriens deficiente manu.“

Ex his versibus viri docti omnes fere — quamquam alii alio modo — colligendum esse opinabantur „Nemesim“ i. e. librum secundum extremum fuisse Tibulli opusculum itaque cum praematura morte abriperetur parum plenum relictum esse. Has coniecturas priusquam examinemus et refellamus, ipsam orationem et progressum sententiarum diligenter ut perspiciamus quid sibi velint operam dabimus. Sententia est haec: „Quamquam dolendum esset quod ne sacro quidem vati Tibullo fata pepercissent, multo tamen melius fuisse quod in patria mortuus esset quam si Corcyrae diem supremum olim (a. 724/30) obisset. Etenim si in ignota illa terra vita decessisset futurum fuisse ut nec mater nec soror nec puellae amatae funeri interessent: qui cum in patria de vita migrasset, officium extremum non modo matri et sorori, sed etiam puellis

amatis, Deliae et Nemesi, praestare licuisse; quas etiam certavisse in funere utri Tibullus carior fuisset.“

Iam nemo ignorat inter hos versus Ovidii et Tibulli quosdam qui leguntur in libri primi carminibus III et I rationes intercedere. In III enim legimus haec (v. 3 sqq.):

me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris:
abstineas avidas, Mors precor atra, manus.
abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater
quae legat in maestos ossa perusta sinus,
non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
et fleat effusis ante sepulcra comis,
Delia non usquam;

in I haec (vv. 59. 60):

te (Deliam) *spectem, suprema mihi cum venerit hora,*
te teneam moriens deficiente manu.

Tibullus igitur (in III) cum Messallam in Asiam secuturus Corcyrae aegrotaret et timeret ne Mors sibi appropinquaret, doluerat quod nec mater nec soror nec Delia adesset ut supremum officium si mortuus esset praestarent; optaverat tum (in I) ut si suprema hora venisset liceret sibi morienti Deliae manum tenere.

Atque apparet Ovidium, quae tum concupiverat Tibullus ut morienti evenirent, mortuo ea re vera evenisse iisdem fere atque illum in epicedio vocibus affirmare. Sed pauca mutavit: nam quod Tibullus ad sororem rettulerat „*Assyrios cineri quae dedat odores*“ Ovidius matrem id fecisse dicit: „*mater et in cineres ultima dona tulit*“, cum quod apud Tibullum in sororem cadit: „*crinibus effusis*“ idem ad eandem referat his: „*venit inornatas dilaniata comas*“. Praeter matrem autem et sororem sicut Tibullus (III) olim voluerat Deliam Ovidius funeri interfuisse dicit. Atque haec quidem excepto levi quod significavimus discrimine cum condicione ea quam Tibullus in elegia III attigerat consentiunt omnia. Sed plura apud Ovidium leguntur: Nemesim quoque interfuisse memorat cum Delia certantem et, quod gravius est, ea loquentem quae de Delia cogitans Tibullus olim optaverat in elegia I.

Haec primo obtutu mira videntur; et decet quaerere qua de causa Ovidius rem mutaverit, decet eo magis, quod, qui de hoc loco verba fecerunt, discrimen quod intercedit inter Tibullli et Ovidii descriptiones parum illud respexerunt et sententias ita ut leguntur neglectis Tibulli rebus et carminibus ad verbum tantum explicantes in summos errores, eum praesertim quem notavi p. 35, deducti sunt.

Ac primum quidem matrem et sororem Tibulli filii fratrisque funeri re vera interfuisse per se credi potest; nam consentaneum est eos qui necessitudine cum mortuo coniunguntur supremum officium si facultas datur praestare. Sed non crediderim hoc Ovidium definite commemoraturum fuisse nisi illius descriptionis Tibullianae recordatus esset. Itaque factum est ut, non inepte quidem, passim mutata illa epicedio suo insereret ea quoque ratione motus ut lectores condicionis qua tum pressus Tibullus carmen III suavissimum composuerat denuo moneret. In eo autem non ita haeserim, quod ultima dona quae in cineres feruntur legimus matrem tulisse apud Ovidium, cum Tibullus optaret ut soror id faceret. Neque enim Ovidius chartam illam Tibullianam ipse explicavit ut accurate quae ille scripserat legeret et ipsius carmini suo loco insereret ad verbum, sed recordatus modo eius quam descripserat Tibullus condicionis in universum satis habuit illam repetere; quare facile fieri potuit ut differentia quaedam levis irreperet.

Sed ea quae sequuntur (v. 53—58) graviores dubitationes movent: certantes Ovidius facit Deliam et Nemesim in funere Tibulli utra felicior fuerit in illius amore: Deliam gloriantem quod vivum adamaverit, quod morientis manum deficientem tenuerit Nemesim. Haecine rebus respondent? iam primum omnino utramque Deliam et Nemesim huic funeri interfuisse credamus? Atque Tibullum quidem tum (eleg. III) optare potuisse ut Delia morienti sibi adesset non est quod miremur, cum amores nullo modo illo tempore turbati essent. Hanc autem a. 735/19 revera supremum officium ei praestitisse quis credat, cum interim condiciones prorsus mutatae essent, nempe

cum Deliam, praesertim nuptam, Tibullus ante novem annos (a. 726/28) amare desiisset, cum Nemesim adamasset post eamque Glyceram (cf. p. 46)? Neque enim recte id dixerit quis, Deliam, quamquam amores plane soluti essent, temporis intervallo sat longo interposito cum audivisset Tibullum mortuum esse summo cum studio curasse ut ad funus illius quam celerrime properaret. — Idem in Nemesim cadit. Nam ne eum quidem qui obiter Tibulli librum secundum percurrerit fugerit qualia argumenta depingantur. Et quamquam concedi potest Tibullum hic illic res verbis super modum auxisse — sed hoc ius est poetae — tamen satis constat has ipsas iniquas fuisse tamque asperas ut ne carmina quidem aliquid prodessent (cf. Tib. II, 4, 13 sqq.) et Tibullus ab hoc qui vix apte ita vocatur amore se abdicaret compluribus (hoc infra exponemus p. 48 sqq.) annis priusquam diem supremum obiret. Neque enim condiciones sat asperas quae intercedebant inter Tibullum et Nemesim postea meliores factas esse vel poetam plures quam traduntur (cf. i. p. 74) elegias (quibus has condiciones meliores illustratas esse crederes) scripsisse itaque Ovidium ex pluribus quam nos fontibus haurire potuisse est quod sumamus, cum praesertim liber secundus elegia VI ipse aptissime conclusus sit.

Haec igitur qui diligenter perpensitaverit necesse est persuasum habeat Deliam et Nemesim ne interfuisse quidem Tibulli funeri — nedum ita ut legimus apud Ovidium certavisse utramque — nefasque esse ad verbum interpretari ea quae rebus Tibullianis sat aperte repugnant et quasi res actae narrentur in certum usum convertere. Quae cur finxerit Ovidius iam apparebit.

Notitiam ipse habebat Deliae et Nemeseos, primi et secundi libri, accuratissimam, non mediocrem habebant lectores. Quod si a solemni oratione initium capiens postquam Tibulli librum utrumque longum nomen habiturum esse vaticinatus est ad simpliciora et, ut dicam, humaniora condicionibus eis quas Tibullus in duobus carminibus (III et I) attigerat excitatus transitum parabat, cum ille (in III) de matre sorore Delia

cogitaverit, non potuit facere quin suum in usum, sed proprio modo, hoc converteret. Adiecit igitur Deliam quoque, quamquam id condicioni quae fuit a. 735/19 iam non respondebat. Sed non unam adiecit aptissime quidem: unam si adiecisset Deliam matri et sorori tertiam, aliqua ex parte oratio, quamquam descriptioni Tibullianae respondebat, claudicatura fuisset; etenim, ut hoc primum moneam, cum binis versibus qui spectabant ad matrem et sororem supremo in illum officio functuras Tibullianis ipse binos sententia simillimos respondentes facere posset et faceret, de Delia aliquid novi excogitandum fuit, cum Tibullus (III, v. 9) hoc tantummodo „*Delia non usquam*“ duobus qui antecedebant distichis adiciens tumque statim ad Deliam ex urbe ipsum priusquam Messallam sequeretur comitantem sacraque facientem parans transitum quod vellet hanc morienti vel mortuo praestare nil attulisset. Itaque cum de hac ipsa aliquid fingendum esset, quod rebus ut tum (a. 735/19) erant repugnaret, non dubitavit quin Nemesim alterum amorem fingendo ceteris adnecteret, quamquam hanc aeque — ut exposuimus — ac Deliam res ipsae abnuebant. Quod cum excusandum, tum laudandum est, quia hoc modo Ovidius descriptioni non modo nil nocuit sed vim necessitati tamquam parens mirum quantum auxit. Etenim praesertim cum supra (v. 31. 32) Deliam et Nemesim carminibus sat pervulgatis celebratas diserte laudasset, hoc loco Deliam commemorare omittere Nemesim nefas fuit. Quod non modo ex sententia necessarium videbatur sed formae quoque magnopere profuit. Etenim cum iam quattuor personae praesto essent difficultas illa, quomodo Delia tertia duobus antecedentibus adnecteretur, sublata est. Duo paria facile evadebant: mater et soror (ut apud Tibullum), Delia et Nemesis. Atque rerum aequabilitati forma inservit: distichon unum quod condicionem explicat illam Tibullianam in fronte positum est (vv. 47. 48), sequuntur singula disticha ad matrem et sororem pertinentia (v. 49. 50; 51. 52): quibuscum Deliam et Nemesim consociatas fuisse cum uno disticho (53. 54) laudaverit Ovidius iterum iam singulis distichis (55. 56; 57. 58) quid Delia quid Nemesis in funere fecerint fingit.

Quae oratio concinna cui non arridet? Atque quod haec ficta leguntur cum ex rebus orta esse ipsa videantur per se ne decet quidem Ovidium vituperare. Qui non historicus est cuius est iudicium et res religiose secernere, sed poeta cui non modo licet sed quem iuvat res quae argumento sunt eas sive et ipsas exornare atque variare sive novis quas fingit adiectis distinguere atque augere. Quod si semper poetae concedenda est haec licentia, epicedion in quo valeat maxime idoneum est — velut hoc Ovidianum ob memoriam Tibulli compositum, panegyricus illo dignissimus, plenus cum doloris sinceri tum apertae admirationis, ultima tamquam vox qua Ovidius quippe cui Tibulli dum inter vivos erat amicitiam fata non dedissent mortuum poetam sequitur.

Hoc praeter omnia tenendum est et hac ratione quaecunque in hoc carmine leguntur iudicanda, ne quae ficta esse apparet ea ut pro veris venditemus inducamur. Quod periculum iam videbimus plerosque non fugisse. Atque si de ipsa ratione dubitari non potest, quae vera quae ficta sint discernere difficilius non est. Velut de vv. 31. 32 quid iudicandum sit constat: quos quam vere Ovidius vaticinatus sit adhuc firmare licet lepidos Tibulli libellos legentibus; id quoque quod h. l. Nemesim vocat „*curam recentem*", „*primum amorem*" Deliam repetitque (v. 53) „*Nemesisque* (nempe posterior) *priorque* (Delia)" rectum esse scimus; etenim decebat Ovidium in epicedio Tibulli memoriam celebrantem opera eius quae quidem pervulgata essent quaeque argumenta eis fuissent memorare. Hae sunt res: his cetera quae ficta sunt nituntur, ficta videlicet consulto.

Quod respicientes ad vv. 55—58 aggredimur.

Certamen depingitur Deliae et Nemeseos. Atque quod gloriatur Delia vivum poetam ipsam amavisse consentaneum est et mireris fere quod expresse id Ovidius firmaverit nisi ea ratione haec sententia excogitata esset ut alteri opponeretur graviori, quae ad Nemesim pertinet. Namque si per se credibile non est Deliam et Nemesim funeri interfuisse hoc ea sententia quam Nemesis pronuntiat certissime probatur: quam

quidem morientis Tibulli manum deficientem tenuisse plane fictum est — iam vides qua ratione. Ovidius si orationem aliter conformasset haec verba, ut Tibullus cogitaverat (in I) de Delia cum optaret, ita Deliam dicentem facere potuit; sed ne tum quidem si quod ille voverat reapse morienti obvenisse per Deliam firmasset, rei plane respondisset, cum, ut exposuimus Deliam supremo in illum officio non functam esse ipsam, ita morientis Tibulli quippe qui iam pridem eam amare desiisset manum deficientem tenuisse negandum sit. Tamen disticha ut leguntur reprehendere non iuvat. Nam hoc in certamine cum Ovidius Deliam „primum amorem“ prius faciat loquentem, Nemesim autem „curam recentem“ altero loco ponat consentaneum est gradationem quandam expectari eam ut quae prius locuta sit Delia ea Nemesis tum operam det ut superet vel refutet gravioribus. Hoc autem ut efficeret poeta, cum plura ex Tibulli libro primo in hoc epicedio hauriret, nil facere potuit melius quam ut id quod olim de Delia cogitans Tibullus optaverat ut sibi obveniret sine ulla dubitatione Nemesi tribueret. Non fortuito igitur Ovidius rem mutavit (ut in v. 50, cf. s. p. 37), immo consulto deditaque opera quo fortius id quod voluit impetraret. Quo fit ut haec disticha duo quod ficta sunt non modo non offendamur, sed alacritatem et vigorem admiremur adeo capti, ut cum res tamquam agatur non narretur scaenam hanc esse fere credamus in qua duae personae vehementer excitatae altercantur.

Haec igitur plane ficta esse constat. Sed Ovidius fingens cum licentiae quae poetae est atque in qua ipsa poesis nititur temere non indulsit, tum argumento quod tractaturus erat mirum quantum servivit cum et ipsum utriusque puellae certamen summa sententia cumulaverit et recordatus illius descriptionis Tibullianae in initio (inde a v. 47) rebus ex Tibullo exscriptis in medio (inde a 53) novis ex ipsius ingenio adiectis in fine ad Tibullianam sententiam redierit. Namque memoriam Tibulli celebrari voluit — poetice. Quod si voluit aliter efficere potuit? Deliam adamaverat poeta; quae destituit nupta; tum Nemeseos gratiam ut sibi conciliaret operam

dederat: quae ne admisit quidem divitiore amatore irretita. Haecine quamquam argumenta erant carminibus Tibullianis decebat Ovidium in epicedio illustrare, quippe quae ipse satis noverit, noverint ii in quorum usum hoc scripsit? Immo interfuit quae ad vitam amores carmina Tibulli pertinebant dura lenire, acerba reddere dulcia, ex suavibus suavissima eligere — ut breviter dicam — mortuum Tibullum et hominem sincerum et poetam ingeniosum specie nescio qua divini ornare. In qua descriptione nihil extat vile, nihil quod vel Ovidio vel Tibullo indignum sit, immo omnia Ovidii et artem poeticam et vehementem quod illius os prius quam par erat obmutuerit dolorem spirant. Respiciendum est igitur ex natura huius carminis quae ficta sunt explicanda esse, atque ipse de his multo plura quam satis erat disserui, quod qui haec interpretati sunt cum totum carmen parum respicerent ne singula quidem ex contextu adempta quid sibi vellent intellegebant. Atque aptissime quae in fronte dissertationis posuit Leo[1]) vir humanissimus ad hoc epicedion accommodaveris. Etenim Romani quorum in usum Ovidius hoc scripsit, cum non ignorarent Deliam et Nemesim a Tibullo carminibus celebratas esse et quo modo, qua ratione Ovidius illud certamen carminibus Tibullianis ex parte repugnans descripsisset perspiciebant. Qui si non potuit sumere eos qui hoc legerent et Deliae et Nemeseos (ex libris primo et secundo iam pervulgatis) notitiam habere, haec eum non scripturum fuisse et ne potuisse quidem scribere persuasum habeo.

At recentiores cum vv. 31. 32 non recte intellexissent ex vv. 57. 58 colligendum putabant Nemesim extremum fuisse Tibulli amorem; hunc autem amorem ne finitum quidem esse et librum secundum ut imperfectum ex schedis Tibullianis ab editore quodam in lucem emissum esse. Et quamquam haec opinio ipsis versibus 31. 32 de quibus supra disseruimus satis

[1]) *„Die römischen Elegiker haben stets Leser gehabt, die den Dichter als Dichter lasen, seiner eignen Weise nachgingen und bei Beurtheilung von Plan und Zusammenhang den Charakter der Dichtgattung in Betracht zogen; aber ihre Exegeten sind selten solche Leser gewesen.“* l. l. p. 1.

refutatur, tamen ea quoque quae critici ex vv. 57. 58 in suum usum converterunt examinemus oportet. Iam quod offendebat Baehrensium[1]) opinatum haec verba Ovidium si secundum librum editum novisset Nemesi non tributurum fuisse non opus est refutare cum constet ex vv. 31. 32 hunc librum a Tibullo editum esse[2]). Sed ipse Lachmannus vir praestantissimus olim dubitaverat num Tibullus librum secundum ipse edidisset; qui quidem sententiam suam ut solebat dedita opera non exposuit; sed pauca quae fecit verba de hac re, et in Tibulli editione[3]) ab ipso curata et postea cum iudicium faciebat de Disseni commentario[4]), gravia sat certa sunt ex quibus quid eum moverit cognoscatur. Tamen quod censet et multis placuit, mirum esse quod Ovidius ut ex primo libro Tibulliano non ita ex secundo in suum usum quaedam converterit, mihi non arridet. Iamque concedo, si similiter ac primi libri Tibulliani elegias III et I secundi quoque quasdam Ovidius in epicedio exscripsisset, testimonium multo gravius futurum esse quo probetur Ovidium editi huius libri notitiam habuisse; gravius dico — nam quod in v. 31 legimus per se satis grave est. Et aliud accedit: etenim si respicimus Ovidium in ea tantummodo parte epicedii quae spectat ad feminas quattuor supremo in illum

---

1) „*Denn während er* (Ovid), *um den Leser an Tibulls Poesie zu erinnern, manche Situationen und Ausdrücke des ersten Buches geschickt verwerthet, erinnert er an jenes durch kein einziges Wort; ja er geht in seinem Eifer, tibullische Reminiscenzen anzubringen, so weit, v. 57 die Nemesis sogen zu lassen: „quid tibi (Delia) sunt mea damma dolori? me tenuit moriens deficiente manu“, nicht grade glücklich, da Tibull selbst an Delia diese Worte I, 1, 60: „te teneam moriens deficiente manu“ gerichtet hatte. Diese ungeschickte Reminiscenz würde Tibull nimmermehr angebracht haben, hätte ihm auch das zweite Buch schon vorgelegen*“ (l. l. p. 7 sq.).

2) Baehrensium perperam sequitur Doncieux (l. l. p. 11 n. 2).

3) p. 44: „. . . . *qui hunc librum* (Lygdamum) *cum secundo et quarto edidit, post obitum Tibulli, nisi fallor: certo Ovidius neque in epistolis neque in epicedio Tibulli ex eis quicquam imitatus est, quod tamen postea saepe fecit.*“

4) Kl. Schr. p. 154: „*wir möchten nicht glauben, dass Ovid sein Gedicht auf Tibull den später herausgegebenen Elegieen dieses Dichters gemäss eingerichtet habe (ausser allenfalls in dem Namen Nemesis für Glycere,* [de qua re cf. i. p. 46]), *weil er doch sonst auf Stellen des zweiten Buchs anspielen würde.*“

officio functas (vv. 47 – 58) Tibulli versus plus minusve exscripsisse, monendum est condiciones aptas quae huc transferantur in libro secundo Tibulliano nullas fere extare — nisi quis dicat libri secundi elegias quasdam intercidisse (cf. p. 74). Quod cum negari non possit existimo Teuffelium (l. l. p. 470) libidinem coniectandi plus aequo sequi, cum disserens de versibus quos Ovidius ex Tibullo exscripsisset adiciat: „*außerdem* (nempe librum primum) *noch im allgemeinen die Elegien des zweiten Buches*". Hoc autem nullo modo demonstrari potest — equidem frustra conatus sum ut invenirem in epicedio quod ex Tibulli libri secundi elegiis haustum esse aliqua cum probabilitate putetur[1]) — iamque melius fuit omnino non conicere; nam talia in universum dicta tantum abest ut aliquid iuvent ut damnum etiam inferant eaque, quae super modum iam perturbata sunt, magis magisque permisceant.

Sed omnino — hoc summum est — iam teneamus certamen illud plane fictum esse; etenim in hac re diiudicanda quanta cautio necesse sit adhibeatur testis extat a quo moneamur Dissenus, vir de Tibulli carminum explicatione optime meritus, qui tamen non raro in miros errores incidit. Qui quod in hac quoque re de recta via plane aberravit eo magis doleo, quod omnium doctorum virorum qui de libri secundi editione aliquid litteris mandaverunt primus id recte sensit, versus Ovidii (31. 32) ad edita opera pertinere (l. l. p. XXII);

---

[1]) Namque epicedii versus 17. 18:

at sacri vates et divum cura vocamur:
sunt etiam qui nos numen habere putent,

Ovidius cum scriberet num recordatus sit Tib. II, 5, 113 sq.:

at tu (nam divum servat tutela poetas)
praemoneo, vati parce, puella, sacro,

quamquam sententiae simillimae sunt non satis certum habeo; etenim talis sententia *divi poetas tuentur* adeo accepta est scriptoribus, ut credi non possit Ovidium ex Tibullo h. l. hausisse. Omnino in talibus (quae imitationes — praesertim Ovidii — non recte vocari solent) analogiis investigandis audacius critici versari videntur; cf. i. p. 50, n. 2. Praeter hanc autem sententiae, quae aliquo modo quibusvis libri secundi Tibulliani respondeant, in epicedio non leguntur.

sed cum dicat se relinquere in medio utrum epicedion paulo post Tibulli mortem (quod unum rectum est[1]) an alio tempore scriptum sit, fructum cognitionis ipse sibi abstulit. De versibus autem 57. 58 adnotat haec (p. XXVI): „*Tibullus in hoc* (sc. Nemeseos) *amore mortuus est, teste Ovidio in Epicedio, ubi Nemesis dicit: „Me tenuit moriens deficiente manu“ qui versus depromptus ex elegia prima libri primi Tibulliani, etiamsi non ad verbum urgeatur, hoc certissime probat. nondum finitum fuisse hunc amorem, cum obiret Albius, sed in amore, ut dixi, mortuum poetam*“. Atque pergit vir doctus (p. XXXI) ita: „*Nempe acute mihi Lachmannus meus statuere videtur in Annotatione libro tertio praefixa* (cf. s. p. 43, n. 3), *editos tres ultimos libros ab alio post mortem*[2]) *Tibulli. Tibullus, ut vidimus supra, mortuus erat in amore Nemesis, qui amor cum non finitus esset, nec liber secundus dici potest a Tibullo finitus, sed probabile est longiorem*[3]) *futurum fuisse et priori magnitudine similiorem*[4]), *si poeta diutius vixisset; neque eum edidisset ante finem amoris. Nunc igitur ut habetur ex schedis Albii ab alio editus est sqq.*“ Haec Dissenus. Exscripsi autem haec omnia quo magis patefiat quaestionem pendere ex eo ut fictum esse illud certamen intelligatur. Quo factum est ut Dissenus ad verbum omnia explicans ex opinione sua sumeret mira. Haec autem eis quae exposuimus de sententia ficta plane refutantur, neque quidquam restat argumentationis viri docti quod probabilitatis speciem prae se ferat.

Secundum igitur librum a Tibullo editum esse ex epicedii vv. 31. 32 et 53 – 58 colligitur. Atque probatur haec sen-

---

1) C. P. Schulzius vir de elegiacis Romanis optime meritus recte adnotat (l. l. p. 202) epicedion a. 735/19 scriptum esse; tamen perperam censet (l. l. p. 52) de libri editione: „*Während das erste Buch seiner Elegien noch bei seinen Lebzeiten von ihm selbst veröffentlicht worden ist, sind seine übrigen Gedichte zusammen mit denen eines jüngeren Dichters, des Lygdamus, und einigen anderen erst nach seinem Tode herausgegeben worden.*“ Hoc utrumque autem velis remisque sibi repugnat neque video quomodo vir doctus coniungi posse senserit.

2) cf. quae disserui infra p. 63 sqq., 68 sqq.

3) De hac re disserui in altero capite p. 58 sqq.

4) cf. i. p. 58 sqq., 72 sqq.

tentia eo quod liber secundus non brevi ante obitum poetae sed compluribus annis ante confectus publicique iuris factus esse videtur. Quod quidem critici propterea non intellexerunt, quod Disseni opinione (de certamine illo) capti putabant Nemesim extremum Tibulli amorem fuisse. Hoc autem falsum esse demonstrabo, et, si fieri potest, quo fere anno liber editus sit omnibus quae ad rem pertinere videntur auxiliis adsumptis probare conabor.

Ac primum quidem quod ipse Dissenus sumit ex illis Ovidii versibus, amorem, qui intercedebat inter Tibullum et Nemesim, a. 735/19 non iam finitum fuisse, non modo per se ideo reiciendum est quod ex ficta sententia quam non perspexit ille aliquid veri eruere studuit, sed etiam rebus quas novimus ex Tibulli libri secundi carminibus quae ad Nemesim spectant ipsiusque Ovidii genere dicendi (cf. i. p. 48) satis refellitur. Etenim amores qui depinguntur in cc. III IV V VI quamquam pulcherrimi descriptione re tam miseri sunt, ut credi non possit Tibullum in hoc amore diutius perseverasse. At si quis dicat ipsas horum carminum condiciones magna fortasse ex parte fictas esse, respondemus idem ac supra monuimus carmen extremum VI ea fictione compositum esse ut nil post id desideretur. Poeta videlicet, cum de Nemesi in gratiam sibi concilianda desperaret et librum secundum carmine VI finisset ad alias res se convertit: Glyceram amare et carminibus orare coepit, Sulpiciae et Cerinthi amores cycli forma depinxit. Etenim ii qui censebant Glyceram eandem esse atque Nemesim non satis animum attenderunt ad Horatii carmen I, 33, 1—4:

Albi, ne doleas plus nimio memor
inmitis Glycerae, neu miserabiles
decantes elegos cur tibi iunior
laesa praeniteat fide.

In libro autem secundo Tibulliano nusquam legimus iuniorem amatorem superavisse Tibullum sed divitem cui Nemesis se dederat auctorem fuisse illius aerumnarum[1]). Sed

1) In eundem errorem nuper recidit Ramsay, Selections from Tibullus and Propertius, Oxford 1887, p. XXV.

censebant plerique Disseno adstipulati Glycerae elegias et Sulpiciae Cerinthique cyclum a n t e librum secundum composita esse et quod ex singulorum huius libri carminum statu collegerant certa tamquam fide id epicedio Ovidii firmare sibi videbantur. Quod examinemus oportet. Iam elegiarum Glycerae testis extat unus Horatius (l. l.). Qui *elegi miserabiles* quales fuerint non iam licet noscere cum in libris non tradantur. Nam quod Dissenus coniecit et multis placuit cc. IV, 13 et 14 esse quasdam Glycerae elegias, cum nullis causis, ne similibus quidem veri, demonstrari possit ad quaestionem nostram nihil valet[1]). Sed interest ut hae elegiae ad hanc aetatem non pervenirent quaerere qui factum sit. De qua re ambigas. Iam dixerit quis hoc medio quod dicitur aevo tribuendum esse itaque facillime ex angustiis viam patefieri; quod equidem non crediderim. Immo puto Tibullum post libri secundi editionem has elegias — nescimus quot — scripsisse, petitum ab Horatio ut desineret fortasse quievisse, quominus publici iuris faceret (quod num ipse in animum induxerit dubitari potest) morte retentum esse, cum non sit quod Tibullum, si post libri p r i m i editionem (i. e. octo annis antequam moreretur) elegias in Glyceram scripsisset, ut credunt illi, eas num in lucem proferret dubitasse vel delevisse — ut censet Dissenus — sumamus. Quo factum est ut hae elegiae in tenebris laterent adeo ut ne is quidem qui uno fere saeculo post tertium librum (manuscriptorum dico) primo et secundo adnexuit[2]) in lucem eas proferret. Quae ratio, cum per se consentanea esse videatur, epicedii ipsius forma orationis probatur ex qua quod opinabantur critici Nemesim extremum amorem fuisse itaque Glyceram priorem[3]) id nullo modo eruitur. De Nemesi quidem morientis poetae manum tenente quid iudicandum sit iam dixi. Sed

[1]) Quod affert Dissenus (l. l. p. XXIII. sq.) nil probat. Id tantummodo certum videtur esse haec duo carmina T i b u l l i a n a esse.

[2]) Hoc exposui infra p. 68 sqq.

[3]) Praeter Dissenum (l. l. p. XXI sqq.) in hanc sententiam inclinabant Gruppius (l. l. p. 264) et Teuffelius (l. l. p. 470); quos ut solet Doncieux nuper secutus est (l. l. p. 73).

accedit, quod ne tradit quidem Ovidius Nemesim extremum amorem fuisse; qui dicit v. 54: „*Nemesisque* p r i o r *que* (Delia)“ ex quibus verbis id tantum recte colligitur quod aliunde satis notum est Deliam p r i u s amatam esse Nemesi, ita ut si reicienda est illa de Nemesi poetae morientis manum tenente opinio plura ex v. 54 colligere nefas sit. Versum autem 32, qui ad easdem pertinet puellas a Tibullo amatas, viri docti perperam interpretati sunt. Etenim h. l. Ovidius non modo dicit primum amorem fuisse Deliam, Nemesim curam recentem (quod ne per se quidem idem est atque „extremam“) — et vehementer sibi nocuerunt viri docti quod in pentametro haerebant hexametri sententiam non recte intelligentes — sed de eis puellis quae carminibus (libro primo et secundo) e d i t i s nomen assecutae erant. Quod si Ovidius Glycerae elegiarum h. l. mentionem non facit ex eo explicatur quod vel ipse nullam earum notitiam habuit vel si habuit[1]) non aequum censuit esse eas commemorare quod in lucem nondum prodierant et plerisque non erant comperta[2]). Altero autem loco (v. 53 sqq.) quantopere certaminis Deliae et Nemeseos vigori noceretur t e r t i a puella adiecta Gruppius ipse (l. l. p. 220) quamquam de editione libri non recte sentiebat aptissime docuerat[3]).

Tempora quoque quae quidem probabiliter statui possint sententiae meae non repugnant. Namque cum constet Horatii carminum libros tres primos a. 731/23 editos esse, necesse est carmen I, 33 ante hunc annum scriptum esse

---

1) H o r a t i u s qui factum sit ut priusquam ederentur horum carminum notitiam haberet facile intelligitur, cum sciamus ex epistolarum lib. I c. IV eum Tibullo *sermonum candido iudice* familiarissime usum esse. O v i d i u m autem ab ipso Tibullo de quibusvis carminibus certiorem factum esse credi non posse supra exposuimus (p. 20); qui tamen ex Horatii c. I, 33 hoc scire potuit.

2) Baehrensius igitur (l. l. p. 7—11) non modo perperam, quod Glycera in epicedio non commemoratur, offensus est, sed etiam levius inde colligi posse opinatus Albium quem alloquitur Horatius alium esse atque Albium Tibullum poetam elegiacum.

3) Similis fortasse ratio priore quoque loco (v. 31/2) Ovidium movit: ne miram illam binorum operum comparationem (cf. s. p. 31 sqq.) tertio quodam Tibulli adiecto turbaret.

eodemque anno Glycerae elegias determinari. Atque videtur ipse annus quo hae scriptae sint certe fere evadere. Exposuimus supra librum primum paulo post c. VII confectum in lucem prodiisse a. 727/27 exeunte; monuimus tum (p. 26 sq.) quae ratio intercedere videretur inter libri primi c. VII et secundi c. I atque verisimile esse haec carmina temporis intervallo quam brevissimo seiuncta fuisse; quare ut Marathi elegiae ita Glycerae num recte inter haec duo interponantur dubitaveris. Quod si ex eis quas iam attulimus causis patet Glycerae elegias post libri secundi editionem, sed ante a. 731/23 scriptas esse, si, cogitantes libri primi maioris elegias annis fere quinque compositas esse, libro secundo dimidio fere minori duos vel tres annos[1]) tribuimus: facere non possumus quin Glycerae elegias ipso anno 731/23 vel paulo ante ortas esse concludamus. Id autem, etiamsi quis certum annum missum faciat, certissime colligitur, Glycerae elegias duobus annis 727/27 et 731/23 terminari et, cum consentaneum sit librum secundum, qui prior est his, temporis quoque spatio maiore distineri, ad a. 731/23 propius accedere quam ad 727/27.

Iam multo fortius cyclum qui Sulpiciae et Cerinthi amores depingit (IV, 2—7) ii qui dubitabant num liber secundus perfectus sit atque editus a Tibullo (priorem eum esse rati libri secundi elegiis) in usum suum converterunt. Quem quidem cyclum utrum voluerit poeta edere necne et qui factum sit ut segregatus a genuinis carminibus in spuriorum carminum appendice traderetur h. l. non dissero, sed utilius habeo quae de hac statui possint — probabiliter scilicet, nam certam fidem frustra appetiveris — infra (cf. p. 68 sqq.) ea afferre. Testimonia enim hic quoque desunt, ita ut nisi omnibus quae ad rem aliquid valere videntur causis perpensitatis cui tempori haec elegidia probabiliter tribuantur, i. e. utrum ante an post librum secundum scripta sint, statui non possit. Quae causae non tam numero quam gravitate mihi aestimandae esse videntur. Gravissimae autem sunt duae, una quod hic cyc-

[1]) Quod ipso libro probatur cf. i. p. 56 sq.

lus in appendice ipsa multo post Tibulli mortem edita legitur (cf. i. p. 68 sqq.), altera fortasse quod ab Ovidio in epicedio non commemoratur; quem monuimus ad edita tantum opera Tibulli spectavisse. Atque cyclum praesertim, quem politissimum esse plerique recte credunt, Ovidium cum Tibulli memoriam celebraret silentio praetermissurum fuisse si in lucem iam prodisset non libenter crediderim. Ex quo colligimus hunc cyclum sicut Glycerae elegias a Tibullo postquam librum secundum confecit atque edidit compositum esse; qui, ut Glycerae elegiae, quominus libris primo et secundo ab ipso poeta emissis adnecterentur iniqua fata impediebant, quae triginta quinque annos natum abripuerunt. Persuasum igitur habeo haec elegidia extremis[1]) aetatis illius annis, nescimus quo, sed certe inter aa. 731/23 et 735/19, composita esse, et ob hanc causam reiciendum esse id quod Gruppius Dissenus alii de Nemesi extremo amore opinabantur.

Hac autem una via licet statuere cyclum hunc libro secundo fuisse posteriorem, et qui aliam ingrediuntur ad idem comprobandum ii vereor ne specie fallantur. Hoc enim probat Olseni viri doctissimi de hac re quaestio (l. l.) qui idem ac nos demonstrare studuit — cycli huius elegidiorum et Propertii versibus quibusdam comparatis. Censet autem vir doctus (plus aequo Zingerlei[2]) rationibus motus) haec elegidia

---

[1]) Quod monui supra (p. 49 sqq.) Glycerae elegias post librum secundum scriptas esse probari eo quod elegiae libri primi VII et I libri secundi temporis spatio quam brevissimo segregari videntur, idem cadit in cyclum; quem a Disseno et qui secuti sunt recte inter libros primum et secundum interpositum esse nego.

[2]) Hic enim versibus sat numerosis poetarum qui fuerunt Augusti temporibus collectis et comparatis eis qui pares vel similes esse videbantur dedita opera conatus est demonstrare Ovidium multis locis qui ante ipsum fuerunt cum alios tum elegiacos poetas imitatum esse (Ovid und s. Verhältn. z. d. Vorgäng. u. gleichz. röm. Dichtern; vol. I: Ovid, Catull, Tibull, Properz, Innsbr. 1869) multosque movit ut easdam rationes sequerentur. Et haec quidem vir doctissimus summum in usum convertit eorum qui ut genus dicendi quam luculentissime perspiciant dant operam. Sed si quid simile est id imitationi tribuendum esse quamquam multi

extremis aetatis annis Tibullum scripsisse quod multis locis, velut IV, 2, 9 et IV, 2, 13 Propertii versus aetate priores II, 1, 7 et IV (V L.), 2, 45 secutus esset. At si per se dubitandum est num de imitationibus huius illiusve poetae cogitari liceat (cf. n.), multo magis diffidamus oportet, si ea quae tali ratione inveniuntur rebus ipsis quas satis compertas habemus repugnant. Quod cadit in Olseni quaestiones. Nam quamquam si respicis prius quod attulit vir doctus exemplum ex temporibus nihil evadit difficultatis, cum constet Propertii librum secundum editum esse compluribus annis antequam Tibullus haec elegidia componeret, posterius prorsus vanum est. Etenim cum Propertii liber quartus (quintus L.) annis 732/22 — 738/16 scriptus sit, fieri non potest ut de imitatore Tibullo cogitetur qui 735/19 mortuus est. Id autem ad rem non multum valet utrum hic liber a Propertio ipso an ab alio quod plerique credunt post obitum poetae in lucem emissus sit; sed tenendum est librum ante a. 738/16 editum non esse. Cuius universi Tibullus notitiam non habuit; neque

assentiebantur mihi vir doctus non persuasit. Etenim per se consentaneum est poetas elegiacos quippe qui argumenta eadem depingerent — asperas dico puellas, iras amatorum, morbos illarum, horum luctus, amorum laudes, summa gaudia alia — verba quoque vel eadem vel similia easque praesertim sententias quae tamquam solemnes usu fiebant posuisse. Potuit certe accidere, ut qui summa erant memoria, velut Ovidius, ea quae apud alios legerant data facultate quorum essent parum recordati et inviti tamquam pro suis venditarent; neque enim credi potest tam ieiunos fuisse hos poetas ut consulto alter ab altero sententias furarentur. Quae quidem rationes ceciderint in tertii et quarti p. Chr. n. saeculi versifices qui ingenii steriles ipsi classicos ut ita dicam scriptores exscribebant; in hos poetas cadere non videntur. Et cum in his rebus, si alia testimonia desunt, difficillimum immo irritum fere sit uter prior scripserit uter imitatus sit diiudicare, vereor ne qui ex his ipsis aliquid colligere studet ad carminum vel universorum librorum tempora definienda, is in lubrico versetur, praesertim cum quae certa esse videntur hoc modo constituta non raro rebus sive ipsis sive alia ac certiore ratione aliunde probatis repugnent. Mecum consentit F. Spiro, Deutsche Litteraturzeitung, IX (1888) p. 1498; hae autem rationes lubricae nolim confundantur cum eis quas primo obtutu patet ex certo consilio ortas esse, velut s. p. 40 sqq.

vero est quod singula carmina priusquam ederentur in libri formam redacta eum novisse coniciamus[1]). Summum autem est, quod ne versus quidem qui comparantur eiusmodi sunt ut alterum poetam alterum imitatum esse probabiliter statui possit; neque vero licet ex opinione tam incerta graves res colligere. Ne id quidem probabilius vir doctus statuit librum secundum Tibullianum priorem esse elegidiis illis ex eo quoque patere quod versus IV, 2, 15—20 ex eisdem argumentis compositi essent quae in libro secundo hic illic (II, 4, 27 sq.; 2, 3; 4, 30; 2, 15. 16) poeta posuisset.

Namque ipsae res Tyrius murex, odores, Arabia terra divitissima, lucidae conchae saepius variisque modis apud omnes qui tum fuerunt scriptores ad luxuriam illustrandam laudantur, ut cogitari non possit si forte eadem apud duos reperiuntur alterum alterius sententias imitatum esse, velut hoc loco Tibullum quae in libro secundo ipse posuerat argumenta hic illic dispersa scite postea repetivisse coniuncta — quasi suo quamque loco sententiam optimam quomodo significaret invenire nesciisset! Apparet igitur Olsenum, quamquam de elegidiorum temporibus aliquid recti sensit, tamen rectam viam qua probaret ingressum non esse.

His expositis unum restat ut Zingerlei[2]) quaestionem examinemus qui contrarias Disseni Gruppii aliorum partes — „Sulpiciam" priorem esse libro secundo — novis argumentis stabilire conatus est. Intexuit autem vir doctus hanc quaestionem maiori ei quam instituit de huius cycli fide atque auctoritate; atque gratiam ei habemus quod, cum plerique Gruppium (l. l. p. 27 sqq., p. 48) secuti iam crederent haec elegidia (IV, 2—7) Tibulli esse, id generibus dicendi diligentissime observatis atque cum eis quae semper Tibulliana habebantur carminibus comparatis ita denuo firmavit[3]) ut nisi occaecati dubitare non

---

[1]) Itaque ne crediderim quidem vice versa Propertium fuisse imitatorem h. l.; cf. Hilleri edit. p. XVIII med.

[2]) Kleine philol. Abhdlgn. II (1877) p. 45—90.

[3]) Sumam rei cautissime ita comprehendit (l. l. p. 89): *„Es dürfte sich ..... das Resultat ersichtlich machen, dass weder Sprachgebrauch, noch Metrisches,*

possint. Id quoque mihi placuit quod ea qua alii specie non ita deceptus est, ut opinionem istam de Nemesi extremo amore ad rem aliquid valere crederet. Tamen hic, cum aliter atque illi ex rationibus ad genus dicendi spectantibus, quas intercedere existimat inter hunc cyclum et primum librum artioribus quam inter cyclum et librum secundum, colligat hunc temporum ratione habita in medio ponendum esse, erravisse mihi videtur. Rem autem ita complexus est (l. l. p. 89 sq.): „*Wir fanden diese erste Gruppe* (IV, 2 - 7) *der Sulpiciaelegieen in einer Reihe von bezeichnenden Erscheinungen den Elegieen des ersten tibull. Buches öfter besonders nahestehend im Sprachgebrauche sowohl als in den gegenseitigen Anklängen, wobei gewisse tibullische Lieblingsgebräuche in der schönsten, man möchte wohl sagen, den diesbezüglichen Höhepunkt bekundenden, nur manchmal in Einzelzahlen noch etwas mehr auffallenden Weise, wie solches ja bei Gedichten geringeren Umfangs, besonders wenn sie so unläugbar gefeilt sind, so natürlich und auch sonst so häufig der Fall ist, zu Tage treten und das Metrische neben Berührungen mit nur im ersten Buche sich findenden kleineren Einzelheiten im Ganzen die diesbezügliche Ausbildung der tibullischen Kunst speciell in naher Stellung zu den Deliaelegieen des esten Buches und zu gewissen noch gefeilten Partieen des zweiten aufweist*". Meum non est quaecunque ex usu adiectivorum pronominum verborum sumpta vir doctus in suum usum convertit deinceps examinare; namque iam apparebit totam hanc rationem per se utilissimam id quod vult efficere non posse, cum non modo ultra modum ipsa progediatur sed etiam coniecturis ex parte falsis nitatur. Iamque iuvat certe quae nomina et verba scriptor posuerit quoque modo coniunxerit quaerere numerare ordinare, sed lubricum mihi videtur, quam-

---

noch Berührungen mit andern Dichtern irgend etwas von nur einiger Bedeutung gegen ihre Aechtheit an die Hand geben, dass vielmehr in denselben so häufig und auffallend ..... gerade feinere Eigenthümlichkeiten Tibulls, die genauere Forschung jenem Dichter entschieden zuweisen muss und die einem Nachahmer ferner lagen, so hübsch und im Gegensatze zu Lygdamus mit den ächt tibullischen Dichtungen stimmen."

quam multi hodie varios scriptores hac ratione tractare solent, ex eo ad librorum unius eiusdemque poetae tempora definienda aliquid colligere — praesertim Tibulli. Etenim concedimus eius scriptoris, qui triginta vel quadraginta annis vel diutius magnam librorum copiam confecit, genere dicendi per omnia scripta diligentissime comparato ex varietate quae necesse est tot annis paulatim nascatur fortasse aliquid erui posse ad tempora cum specie probabilitatis definienda[1]). Sed tum quoque quot capita tot sensus esse solent: quod ipsum probare videtur has rationes esse lubricas et summa cautione adhibendas. Itaque gravius monendum est, quod in eos scriptores quorum opera innumerabilibus voluminibus continentur iam non certe cadit, id ad Tibullum minime quadrare. Qui perpauca scribens cum poeseos Latinae copiam verborum sententiarum ubertatem rationum metricarum quaecunque excogitari potest varietatem nullo modo exhauserit[2]) minorem praebet materiam qua quaestio ea, quae spectat ad tempora librorum genere dicendi comparato statuenda, cum fructu nitatur. Neque crediderim si in duobus quibusvis libris verba vel sententiae eadem vel similia saepius leguntur quam in ceteris id probare hos duos tempore artius coniunctos fuisse illis. Velut, ut hoc primum moneam, si Zingerleus dedita opera docet usu quorundam verborum et sententiarum cyclum Sulpiciae libri primi esse similiorem quam secundi (cf. quae de pronominibus *quisquis* et *quicunque* vir doctus collegit p. 55 sqq) hocine probat Sulpiciae cyclum tempore quoque propius ad librum primum accedere? Quod quidem ex eo mihi videtur explicandum esse quod ipsae condiciones quae in elegiis Deliae describuntur magna ex parte ad similitudinem earum quas legimus in cyclo propius accedunt quam ad „Nemeseos“. Argumenta ea quae tractantur cum sint similiora mirari non debemus quod ad dicendi quoque genus aliquid valuerunt.

---

1) Platonis dialogorum memini.

2) Hoc ne in singulis quidem libri secundi elegiis interpretandis critici satis respexerunt.

Non pauca autem forti tribuenda sunt[1]). Huc accedit quod duae causae virum doctum confidentiorem reddebant quas veras esse negamus. Opinatur enim ille, ut plerique, et libri secundi elegias non aeque ac reliquas („Deliam" praesertim et "Sulpiciam") limatas esse ac perpolitas et aliqua ratione cyclum lib. IV, 2—7 librique secundi carmen II coniungenda esse. Sed si demonstrari potest libri secundi elegias, praesertim si liber a Tibullo editus est, ipsas quam politissimas esse et falso c. II suo loco motum esse a criticis (cf. quae adnotavi s. p. 26), quaecunque vir doctus comparando effecit ut cyclum ante librum secundum poneret claudicant; qui id quod cyclus in appendice Tibulliana legitur et ab Ovidio silentio praetermittitur in epicedio et quomodo id factum sit, quod summum esse diximus, non respexit.

Persuasum igitur habeo quaecunque sive ex epicedio Ovidiano sive (hoc unus Zingerleus) ex genere dicendi librorum Tibullianorum collegerunt critici ut librum secundum extremum fuisse Tibulli opusculum, quod imperfectum moriens reliquisset, ea reicienda esse atque hunc quoque sicut primum a poeta confectum et editum esse ex Ovidii testimonio recte demonstrasse mihi videor.

Pauca addam de anno editionis. Iam satis notum est in elegiis libri secundi nullas fere temporis definitiones certas legi. Neque enim num ad certum annum spectaverit poeta cum Macrum commemoraret arma sequentem in c. VI, neque quem diem natalem respexerit Cornuto amico qui modo uxorem duxerat gratulatus c. II (de I cf. s. p. 26 sq.), neque, quod maxime dolemus, quo anno Messalinus quindecimvir sacris faciundis factus sit (c. V) constat. Sed contigerit fortasse, si eos qui traduntur certi vel cum probabilitate a viris doctis definiti sunt annos ad Messalinum et patrem Messallam spectantes examinamus, ut pauca cum specie quadam verisimilitudinis eruamus. Iam constat Messalinum qui maior fuit duorum filiorum a. 750/4 consulem fuisse; Messallam autem

---

[1]) Hoc vir doctus ipse plurifariam concedit (cf. l. l. p. 57 et 62).

verisimillimum est a. 690/64 natum esse[1]). Utrumque annum si respicimus et meminimus elegias libri secundi non modo annis 727/27 et 735/19 sed etiam 727/27 et 731/23 determinari coniecerim Messalinum adulescentulum qui annum fere duodevicesimum agebat a. 730/24 quindecimvirum factum eodemque anno elegiam V a Tibullo compositam esse. Etenim si constat[2]) has elegias eo quo leguntur ordine scriptas esse, patet elegiam V ad finem (a. 731/23) propius accedere quam ad initium et, si respicimus finem huius elegiae cum initio VI arte cohaerere, eidem fortasse anno atque hanc (nempe 730/24) adscribendam esse[3]). Hunc annum ex ipsius carminis v. 109 licet fortasse colligere. Dicit Tibullus Amorem tam graviter in se invectum esse ut *saucius annum* iaceret Nemesim usque canens; nempe respicit poeta ad cc. III IV prius composita ex quibus satis apparet quam aspere in ipsum puella se gesserit. Iamque si recordamur librum primum autumno a. 727/27 editum esse et libri secundi c. I non multo post scriptum (conicimus vere a. 728/26) et sumimus, quod verisimillimum est, paulo post Tibullum Nemesim novisse proximoque anno cc. III IV composuisse artissime inter se cohaerentia, anno 730/24 recte dicere potuit ad haec respiciens: „*iaceo cum saucius annum sqq.*“. Sed hoc testimonio non confidentius nitor cum haec verba in universum quoque fortasse explicari possint. Cui tamen anno nec obstat aetas Messallae nec Messalini annus consularis. Etenim cum credi non possit Messallam a. 690/64 natum priusquam annum

---

1) Haec res cum universa primum tractata esset a Wiesio (De M. Valer. Mess. vit. et stud. doctrin. Berol. 1829) semper virorum doctorum, curas in se convertit. Atque ex recentioribus acutius (ita ut nulla fere restaret difficultas) nemo disseruit Nipperdeio viro doctissimo (Rhein. Mus. XIX (1864) p. 281 sqq. nunc in opusculis (1877 Berol.) p. 288 sq. cf. imprimis p. 296), cui plane assentior.

2) De hac re alibi disseram (cf. p. 26 n. 1).

3) Nam cum Glycerae elegiae ante a. 731/23 et fortasse paulo ante scriptae sint, libri secundi elegias quasdam huic anno iam non adscripserim ratus a. 730/24 confectas omnes fuisse.

vicesimum ageret[1]) uxorem duxisse, Messalini maioris filii annum natalem priorem putare quam 712/42 non licet ita ut a. 730/24 duodevicesimum annum, fortasse etiam paulo minorem, egisse videatur[2]). Consulem autem fieri cum antea non liceret nisi qui quadraginta tres annos natus erat[3]), notum est Augusti temporibus consulatum huic aetati non iam adstrictum fuisse neque raro eos qui triginta annos nati erant hoc honore affectos esse. Consul igitur factus est Messalinus duodequadraginta annos natus — vel paulo minor. Nam hi quos attuli de aetate eius anni coniciuntur; facile iam crediderit quis eum a. 730/24 paucis annis minorem quam significavimus fuisse; maiorem autem Messallae filium tum fuisse si ommia quae attuli respiciuntur verisimile non est. Exploratum iam haberi potest, a. 730/24 adulescentulum eum fuisse qui non multo ante togam virilem induerat.

Quod si verisimillimum est elegiam V a. 730/24 scriptam esse primum, tum ex sex elegiis quae hoc libro continentur ultra hunc annum procedere nullam, denique credi non potest poetam Glycerae elegias, quas ante a. 731/23 docuimus scriptas esse, prius componere coepisse quam librum secundum confecisset et edidisset, persuasum habuerim editionem ipso anno 730/24 curatam esse, praesertim cum ne per se quidem probetur librum secundum, paulo postquam primus confectus et editus est inchoatum atque ipsum dimidio fere minorem, maius temporis spatium illo explevisse.

---

1) De aetate virorum qui uxorem ducebant cf. quae contulit Friedlaenderus vir humanissimus, Sittengesch. Roms, I[6] p. 463 ([5]414).

2) Adulescentia non offendit si cogitamus adulescentulos generosos non raro praesertim sacerdotia tum iniisse. cf. Marquardt, Röm. Staatsverw. 3[2], p. 381.

3) Excipio Scipionem maiorem, Pompeium, alios, quos notum est ante suos annos summis magistratibus functos esse.

II.

Num liber minoris quam par est ambitus esse videatur.

Ex eis quae Dissenus ut comprobaret librum secundum a Tibullo non editum esse attulit, unum — librum longiorem futurum fuisse et priori magnitudine similiorem si poeta diutius vixisset (cf. s. p. 45) — eis placuit qui nuper huic rei operam navaverunt, Birtio et Hillero viris humanissimis, qui quod in transcursu ille commemoraverat dedita opera probare conati sunt.

Ac Birtius quidem in notissimi libri [1]) parte ea quae inscribitur „*Die Buchgröfse*“ (p. 286—341) quae variorum poetarum libris diligentissime collatis et comparatis de ambitu invenit ea de Tibulli librorum traditione disserens (p. 426—429) in usum suum convertit. Rationes autem eius universas breviter adumbrare iuvat.

Censet vir doctus certum in edendis libris modum et maximum et minimum veteres tamquam quadam lege motos vel coactos adhibuisse. Illud quidem non inepte iudicavit libros poetarum segregandos esse ab eis qui prosam orationem continerent; etenim si comparaveris obiter, iam animadvertes hos vulgo circuitum habere illis multo ampliorem. Sed quod demonstrare conatus est volumina ad legitimam normam exacta fuisse ita, ut nec ultra modum 1100 versuum progredi liceret poetis nec in lucem edere libros qui numerum 500 versuum non assequerentur vereor ne ipse ultra modum progressus sit [2]). Nam haec norma quippe quae circuitum inter duos fines tam

---

[1]) Das antike Buchwesen in seinem Verhältniss zur Litteratur, mit Beiträg. z. Textgesch. d. Theokr., Cat., Prop. und anderer Autoren. Berl. 1882.

[2]) Hoc rectissime monuerunt ii qui iudicium fecerunt de Birtii libro E. Rohdeus (Götting. gel. Anz. 1882, II, p. 1537—1562, cf. imprimis p. 1551 sqq.) et Landwehrius (Phil. Anz. XIV (1884) p. 357—377, cf. p. 363 sqq.).

contrarios fluctuare sinat ipsa nulla iam est; etenim si tanta licentia legi datur, non dubitaveris hanc quoque ita adhibere ut numerum versuum in utramque partem amplifices minuasve; huc accedit quod certum est ut alias ita hic aliis temporibus alium morem scriptores secutos esse[1]). Itaque de universa lege ne cogitaverim quidem, neque vero hanc rettulerim ad libros eos qui maiore temporis intervallo seiuncti in lucem singuli prodierunt. Etenim poetam, si vel unum librum edebat vel plures ita ut inter singulorum editionem aliquantum temporis interesset (velut inter Tibulli libros I et II), modum et rationem habuisse et habere non tam accurate quam qui libros plures in unum tamquam comprehensos uno tempore in lucem emittebat cum probabilitate sumi potest: hunc enim ut hodie sic tum consentaneum est id quoque spectavisse ut aequabilitatem quandam singulorum librorum servaret, ut dispositioni quam res postulabat forma ex parte responderet. Sed ne tum quidem semper legem graviorem scriptores sequebantur[2]). Atque praeter cetera unum gravissimum est, quod Birtius cum obiter in hac parte libri sui (l. l. p. 291) attigerit: „*Starke Abweichungen müssen immer in besonderen Umständen ihre Erklärung finden*“[3]) tamen ad singulorum poetarum traditionem accedens non ita ut par erat observavit. Nempe qui aliquam rem poetice prosequitur curat multo magis id, ut rem ipsam satis explanet et condiciones utut necessarium videtur accurate et copiose depingat quam ut caveat ne ultra modum certum et norma praescriptum ambitus progrediatur

---

[1]) Apte Reischius quid de hac re iudicandum sit comprehendit (l. l. p. 102): „*Dass ein gewisses Maximalmass in der Regel eingehalten wurde und dass eine gewisse Buchgrösse zu gewissen Zeiten „modern“ war, ist zweifelsohne zuzugeben. Dass aber ein origineller Dichter keinen Finger breit vom Weg der Mode abweichen dürfe, ist eine Voraussetzung, die zu keiner Zeit gültig war.*“

[2]) Hoc si ea quae collegit Birtius pp. 293 sq., 296 sq., 301 sqq. conspexeris iam credes.

[3]) Cf. quod vir doctus de ratione quae intercedat inter Ovidii Metamorphoseon libros XII et XIII dicit (l. l. p. 294).

vel versuum numero minore quemquam offendat[1]). Quid autem poeta indignius quam librum sive qui continuam rem agit, epicum, sive qui ex singulis carminibus compositus est, lyricum, loco certo incidere ne ultra normam 1100 versuum procedat, vel cyclum minorem quidem sed optime confectum dignumque qui seorsum in lucem emittatur propter id ipsum retinere quod ne versus quidem 500 contineat? quid rerum non solum descriptioni et explicationi sed etiam munditiae et ubertati magis nocet? Atque exempla quae sententiam meam firment extant utriusque generis gravissima: Propertii liber secundus (manuscriptorum, = II III Lachm.) qui longior, Tibulli secundus qui brevior criticis esse videbatur.

Etenim ut offensioni non est quod Propertii libro secundo 1362 versus continentur (primo tantum 708), cum duobus carminibus primo — prologo — et tricesimo quarto — epilogo — Propertius hunc librum consulto circumdederit[2]) itaque unum esse significaverit, ita vice versa Tibulli liber secundus quod dimidio fere minor est primo (I = 810, II = 428 vv.) nullas mihi quidem movere videtur dubitationes; cuius non modo initium (el. I) et finis (el. VI) aptissima sunt suisque locis posita (de hac re iam dixi alias me disserturum esse, cf. s. p. 26, n. 1), sed etiam brevitas ipsa re probatur et, si hoc necesse est, satis excusatur. Quod quidem utrumque Birtius non

---

[1]) At Birtius (l. l. p. 156): *„Es hat ein Maximalmass und ein Minimalmass der antiken Buchrolle gegeben, nach dem die Autoren sich richteten.“* cf. Marquardt, Privatl. d. Röm. 1886² p. 812. Rectius Mavius vir doctissimus (ibid. in append. p. 886) Haennyi dissertatione (Schriftsteller und Buchhändler im alten Rom, Lips.² 1885) nisus summam rei exponit, scriptores non certi ambitus volumini adstrictos fuisse, sed ad rem quam tractabant spectantes libros conclusisse.

[2]) Hoc acutissime ut solet docuit Vahlenus (Sitzungsber. d. Berl. Akad. 1882, p. 279). Quomodo optime quaecunque critici, alii alia, de libri integritate dubitantes attulerunt refutantur. Ac Birtio qui ipse novam vetustioribus adiecit coniecturam (l. l. p. 413) non contigisse ut librum in duas partes dividendum esse probaret, recte exposuit Reischius vir doctissimus (l. l.); (cf. Plessis, l. l. p. 112, n. 1.); iam speramus viros doctos a Lachmanni sententia paullatim recessuros esse.

respexit qui brevitatem huius libri, quam moleste fert, nullo modo censet intelligi posse nisi ex statu librorum Tibulli iam pridem perturbato (in ea parte libri quam inscripsit: „*Störungen der antiken Buchform*“ pp. 371—429). Iam nostrum est num recte vir doctus ratiocinatus sit examinare.

Ita fere Birtius rem explicat (p. 427sqq.): „Cum et codices quibus libri Tibulliani nobis traderentur recentioris aetatis essent neque verisimile esset archetypum eos aetate multo superare, excerptis Parisinis quippe quae his vetustiora essent aliquantum auctoritatis tribuendum esse. Quae cum versus ex Tibulli secundo (quem nos vocare solemus) libro petitos ita significarent: „*in secundo*“, versus qui hodie in Lygdami elegiis legerentur non ita exhibere ut scriberent „*in tertio*“, sed „*in eodem*“ (nempe secundo); quare iam patere monachum, qui excerpsisset, in secundo volumine Lygdami elegias legisse. Tenendum esse igitur in excerptis duos tantummodo libros Tibulli occurrere. Quod quidem negligentia eius qui versus exscripsisset factum esse incredibile; nam Vincentium quoque Bellovacensem Lydami versus ita citavisse. Ex quibus colligendum esse rem utroque teste — ita Birtius — esse vetustiorem; et accedere quod ipse codex Santenianus (qui saeculo nono adscribitur) Tibulli libros duos commemoraret[1])“. — Iamque si quaerimus quanto vetustior fuerit res utroque teste respondet Birtius ipsos veteres (quamquam Ovidius, qui utramque voluminis secundi partem — „*Nemesim*“ et „*Lygdamum*“ — imitatus[2]) esset, traderet non Neaeram, quae occurrit in Lygdami elegiis, sed Deliam et Nemesim a Tibullo amatas esse) duo volumina quae ad legitimam normam accederent habuisse: primum enim (ut hodie) continuisse 820[3]) vv., secundum autem — „*Nemesim*“ et „*Neaeram*“ quam Sosii bibliopolae notissimi adnexuissent — 428 + 290 = 718 vv.

Sed huic ratiocinationi quae primum intuenti haud scio an arrideat gravissimae dubitationes obstant. Etenim si tene-

1) cf. Hauptii opusc. III, 2, p. 426. cf. i. p. 69 n. 2.
2) De imitationibus cf. s. p. 50 n. 2.
3) Sunt 810 vv., non 820.

mus quod supra demonstravimus a. 735/19 librum primum (810 vv.) et secundum (428 vv.) Tibullianos editos fuisse quod Ovidius et qui litteris studebant non ignorabant, qui fieri potuit ut brevi postquam ille mortuus est (nam Sosios affert vir doctus aequales), Ovidio, immo Messalla vivis, qui quae carmina Tibulli essent quae non essent satis compertum habebant, Lygdami carmina[1]) Tibulli libro secundo, aliena genuinis, ita adnecterentur ut Tibulliana esse viderentur et crederentur ab omnibus? Hoc gravissimum est; quo fere Birtii opinio satis refutatur. Sed videamus reliqua. Quod si Birtius, cum ne postea quidem — hoc unum rectum est — Lygdami mentio fieret apud veteres, censet intelligi non posse nisi ex eo quod iam tum carmina huius poetae cum Tibullianis mixta fuissent itaque Lygdami nomen evanuisset, hoc tamen facillime quomodo factum sit apparet ex eo quod ipse conicit Birtius[2]) Lygdamum elegias suas, quamquam fortasse Neaerae in uno volumine inscriptas ipse dedicavisset, tamen publici iuris non fecisse[3]). Et ut sumamus, Lygdamum ipsum hos versus 290 in libri formam redactos seorsum edidisse — quod poetae non ita noti posteri, quippe qui nobiliores alios silentio praetermiserint, Lygdami nusquam mentionem faciunt hocine satis probat huius carmina seorsum edita ne extitisse quidem et una cum Tibulli libro secundo innotuisse? Et accedit quod ne id quidem scimus, num anno 735/19 vel paulo post Lygdami elegiae ipsae confectae fuerint ita ut a Sosiis postquam Tibullus mortuus est libro secundo adici possent; sed ut iam tum confectae fuissent mirari tamen debemus, cur Lygdamus qui tum quattuor et viginti annos natus erat (cf. Tib. III, 5, 17, 18) elegias ab ipso confectas passus sit a Sosiis alii poetae adnecti. Et si dixerit quis Lygdamum cum hoc fieret ipsum fortasse inter vivos iam non fuisse, monendum est quae ad Lyg-

---

[1]) Notum est haec Vossium primum demonstrasse a Tibullo esse abiudicanda.

[2]) Adstipulatur Hillerus, Hermes XVIII (1883) p. 352.

[3]) Quo tempore equidem censeam has elegias cum Tibullianis mixtas esse v. paulo i. p. 64 sqq.

damum spectent temporum testimonia praeter annum natalem (a. 711/43) nulla tradi neque argumentatione verisimile quidquam erui posse. Neque enim quando carmina singula scripserit nec quo tempore mortuus sit constat[1]). Quo magis cavendum est ne quid certi — ut Birtius — ex rebus incertissimis colligere conemur. Maxime autem monere decet quod Birtius certum habet volumen secundum, in quo inscriptae erant libri secundi (quem nos vocamus) elegiae sex, ex parte vacuum fuisse ita ut vacuum Sosii aliis carminibus possent explere, id certum non esse. Etenim si recte dubitatur[2]) num scriptores librum edituri volumen vacuum certae semper longitudinis in manibus habuerint, cuius si liber totum volumen non explebat partem aliquam vacuam esse paterentur, et verisimile est eos, utcunque res quam tractaverant flagitabat, chartarum partes sive agglutinavisse sive desecuisse, patet Tibullum cum librum secundum ipse ederet (hoc neglexit Birtius) dimidium fere voluminis vacuum non reliquisse, sed verisimilius est hunc librum — breviorem videlicet primo, sed quam perfectissimum ipsum — volumen plane explevisse. Librum igitur secundum non multo post Tibulli mortem cum Lygdami elegiis ea qua vult Birtius ratione conexum esse credi non potest. Atque ex eis qui ipsi hunc librum a Tibullo publici iuris factum esse negant, non recte quidem ut demonstravimus, Hillerus vir de hoc poeta optime meritus tamen editionem prius factam esse quam Lygdami carminum (et reliquorum quae sequuntur) recte intellexit; qui vituperat (l. l.) Birtium quod utrumque confudit[3]).

Birtii autem sententiam ut plane refutemus necesse est deducamur eo ut quaeramus, quod per se utilissimum est, quo

---

1) Ut omittam quod extiterunt qui Lygdamum eundem esse atque Ovidium — conicerent temere, non demonstrarent.

2) c. Mau. l. l. p. 886.

3) In eundem errorem Dissenum et C. P. Schulzium supra vidimus (p. 45) incidisse, captos nempe Lachmanni illa sententia (cf. s. p. 43, nn. 3 et 4), quam tamen non plane perspiciebant.

tempore et quomodo quae post sextam libri secundi elegiam in corpore Tibulliano, quod nos habemus, leguntur illa maxima ex parte spuria (praeter lib. IV cc. 2—7, 13, 14) genuinis libris primo et secundo ab ipso Tibullo ante a. 735/19 in lucem emissis adiecta sint; tum id quoque patebit, quid iudicandum sit de excerptorum Parisinorum fide exhibentium „*in eodem*" (s. p. 61) quo testimonio plus aequo Birtius niti mihi videtur. Haec quaestio admodum lubrica est; ac deficientibus utique fere testibus vereor ne certo diiudicari non possit. Neque vero disserenti de libri secundi editione in animo est novam de his rebus quaestionem movere; sed tamen in universum ea qua diximus causa moti quae via ingredienda esse videatur conabimur demonstrare. Atque huius rei summam ut saepius divina mente docuit Lachmannus vir admirandus (l. l. p. 150) qui paucis ut solebat sed gravibus verbis, quibus rationibus utendum esset ut quaestio difficillima recte solveretur, significavit. Monuit autem hic Tibulli carmina cum alienis mixta esse cogitari non posse, priusquam[1]) Messalla mortuus esset vel memoriam ac sensum[2]) amisisset. De hac norma acutissime praescripta cavendum est ne recedatur. Messallam autem, quamquam in hac re quaedam restant obscura, verisimillimum est mortuum esse a. 760/7 p. Chr. paulo ante quam Ovidius Tomos relegaretur, qui exsequiis illius interfuerat[3]). Intervallum igitur viginti sex annorum intercedit inter Tibulli et Messallae obitum. Sed ne brevi quidem post mortem Messallae novam primi et secundi libri Tibulliani reliquis quae legimus

---

1) His refelluntur quaecunque Haaseus vir doctissimus de corpore Tibulliano in Messallae societate orto et collecto coniecit (Berl. Jahrbüch. f. wiss. Kritik I (1837) p. 39 sq.).

2) Hoc tradit Hieronymus; cf. Teuffel, Röm. Litt. Gesch.[4] p. 445, § 222, 1.

3) Legimus enim apud Ovidium (epp. ex Ponto I, 7, 27—30) haec:

nec tuus (Messalin.) *est genitor nos infitiatus amicos,*
hortator studii causaque faxque mei;
cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,
et dedimus medio scripta canenda foro.

cf. Nipperdey l. l. (opusc.) p. 290.

carminibus auctam editionem verisimile est in lucem prodisse Namque et per se incredibile est plerosque tum iam exploratum non habuisse quae Tibulli quae aliorum essent carmina, ita ut impune genuinis spuria ab editore quovis contexerentur, et accedit quod Martialis in epigrammaton libro XIV c. 193 Tibulli ita mentionem facit ut licere mihi quidem videatur credere, ne hunc quidem tum (anno fere 84 vel 85 p. Chr.)[1]) plura novisse quam quae ipse olim Tibullus edidit quaeque sola ipsa per totum saeculum innotuerant: „*Deliam*“ et „*Nemesim*“ i. e. primum et secundum librum. Sed cum de hoc epigrammate aliter alii senserint opus est breviter interpretari; quod legimus ita:

Tibullus.

Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum
in tota iuvit quem nihil esse domo.

Atque hexametrum quidem pertinere ad librum Tibulli secundum in promptu est. Ussit sane quam vehementissime Tibullum Nemesis, quod patefiet si ad ipsas huius libri elegias accesserimus (cf. p. 26 n. 1), imprimis quartam, cuius apte conferas versus 5, 6:

et seu quid merui seu nil[2]) *peccavimus urit.*
uror: io remove, saeva puella, faces.

Epitheton quoque *lasciva* ad Nemesim optime quadrat. Sed de pentametro paulisper ambigitur, atque factum est ut viri docti in varias partes discederent. Iam memineris velim eundem fere versum legi in Tibulli libri primi elegia V:

illa (Delia) *regat cunctos, illi sint omnia curae:*
at iuvet in tota me nihil esse domo.“

Argumentum est hoc: poeta, cum Deliae morbo confectae interesset (cf. v. 9 sqq.), sperans eam evasuram esse finxerat vitam sibi et illi amoenissimam futuram esse; quod ut incen-

---

[1]) Secutus sum Friedlaenderum (M. Valerii Martialis epigrammaton libri, mit erkl. Anm. Leipz. 1886, 2 voll.).

[2]) Hoc recte cum Heinsio recepit Vahlenus pro „quid“ quod aufert oppositionem quam flagitamus hanc: seu quid merui = nocens, seu nil peccavimus = innocens.

sus est amore fingit acri et intento animo (vv. 21—34) atque singula illustrans vult Deliam rebus domesticis praeesse eiusque arbitrio omnia geri, cum ipse nihil in domo esse malit. Quae quidem verba, si condicionem qua moventur respicimus, optime intelliguntur. Sed mireris, quod haec parum mutata cum ea quae antecedit sententia Nemeseos qui fuerit in Tibullum asper amor exhibente hexametri Martialis sine ulla dubitatione coniunxit. Quod utrum temere fecerit an consulto quaeritur. Atque Friedlaenderus vir doctissimus ad h. l. (l. l. II, p. 339) adnotat: „*Martial hat hier Nemesis mit Delia verwechselt*". Iam concedendum est Martialem ut facetissimum ita ingeniosissimum poetam quem Lessingius noster plurimi aestimavit[1]) epigrammata haec — apophoreta — minuta sine magno labore scripsisse; sed tantum aberat ut temere aliquid diceret vel supervacanea ad versum claudendum relinqueret ut perpensitaret disticha quo certius quod petebant ferirent. Namque haec est natura epigrammatis, ut brevi formae respondeat ipsa sententia acute et concinne dicta. Quare non adstipulor Friedlaendero, poetam eum in quem mirum quantum cadunt Senecae illa *non a summis labris ista venerunt, habent hae voces fundamentum*, sive ignorantia sive negligentia captum Nemesim pro Delia vocasse, exploratumque habeo consulto Martialem quae ad Deliam olim rettulerat Tibullus Nemesi ea tribuisse, non eodem quidem modo sed similiter ac supra vidimus Ovidium in epicedio quod Tibullus de Delia cogitans scripserat id Nemesim gloriantem fecisse. Namque credo Martialem haud ignoravisse ubi Tibullus hanc sententiam scripsisset. Albius olim summas amorum delicias fingens Deliae omnia committi ipsumque *nihil in domo esse* voluerat; qua sententia Martialis ita utitur ut sensum aptum efficeret (ut a pentametro proficiscar) hunc: „olim Tibullus — cum Deliae aegrotanti adesset — in domo nihil esse voluit, deinde hoc ipsum, sed acerbe, accidit: alia autem eum ussit, Nemesis lasciva, ita ut (quod fortasse subintellexeris) ipse pro nihilo putaretur." Videlicet qui hoc tum legebat

[1]) Abhandlungen über das Epigramm, III. Bd. X p. 137 sqq. (Hempel).

Tibullum in Nemesim elegias scripsisse quidque his argumento fuisset sciebat, et si poetarum elegiacorum admodum erat studiosus pentametrum legens recordabatur illius versus quem aliis condicionibus poeta olim scripserat. Sed hoc qui legebat, sive intellegebat sive non intellegebat, plurimum sane interest, cur Martialis miro modo quae primo obtutu sibi videntur repugnare ea coniunxerit perspicere. Qui in altero versu Nemesim vocans ipsam, alterum ex primo libro Tibulliano sumens ad Deliam pertinentem quod quivis simpliciore modo significare potuit id, ut poeta, facete verbis circumscripsit: dico Tibulli libros primum *Deliam* secundum *Nemesim;* nam libri qui dono dantur scriptorum leguntur in epigrammatibus 183—196. Alio autem modo num probabilius hoc epigramma explicetur dubito; et gratiam habemus Birtio viro sagacissimo quod primus hoc recte intellexit (l. l. p. 81 sq.). Sed paulum progrediamur: Martialis cum hoc modo librum primum pentametro, hexametro secundum significaret, totum qui tum notus erat Tibullum complexus est; poeta enim in hac apophoretorum serie quae spectat ad scriptorum libros sive in titulis quos ipse inscripsit sive in ipsis epigrammatibus utrum totum scriptorem respiceret an certum opusculum aperte significavit. Iamque cum c. 193 inscriberet nihil nisi „*Tibullus*" atque nomen in ipso epigrammate utroque libro „*Delia*" et „*Nemesi*" illustraret, non crediderim eum aliorum illius opusculorum notitiam habuisse. Neque vero potuit habere. Etenim respiciendum est hoc epigramma diviti[1]) tribui et Lucano pauperis dono opponi. Et hoc quidem factum esse eam ob causam, quod ex Augusti temporibus per intervallum centum annorum usque ad Martialis aetatem libri Tibulliani, primus et secundus, non iam iterum editi essent itaque rarissimi fuissent et pretiosissimi, recte Birtius mihi videtur sensisse. Iam vellem vir

[1]) Alii aliter de hac re iudicaverunt; quae cum in transcursu nec possit examinari et hoc loco progressum quaestionis gravius interrumpat multumque, ut probabiliter diiudicetur, pendeat de universae apophoretorum partis quae spectat ad libros ordine, in appendice (p. 75 sqq.) copiosius exponetur.

doctus, cum acutissime sententiam epigrammatis huius intellexisset, duobus primis libris eis quos Tibulli esse credimus non solum codicum sed etiam ipsarum rerum auctoritate moti, contentus fuisset. Profecto qui legit ea quae vir doctus p. 82 sq. exponit semper duo volumina Tibulliana laudans vix divinaverit quae molimina paraturus sit p. 427 sqq.[1]) Iam quod supra exposuimus Lygdami carmina non multo post Tibulli mortem a Sosiis libro secundo adnexa esse per se incredibile esse, id Martialis epigrammatis ratione habita probatur. Quis enim crediderit eum, si in secundo volumine Tibulliano carmina in Neaeram scripta legisset et Tibulli esse compertum habuisset, eo quo complexus est pacto primum et secundum librum complexurum fuisse divitive hoc donum tributurum? Nonne offenderemur quod, cum interesset ut summam Tibulli amorum i. e. librorum breviter exhiberet, facete significans „*Deliam*“ et „*Nemesim*“ Neaeram plane praetermitteret?

Sed dubitationes, quaecunque ex Birtii coniectura ea quam refutavimus oriuntur, ipsae concidunt si id semper tenemus unde profecti sumus quo redimus, librum secundum „*Nemesim*“ a Tibullo ipso in lucem emissum esse. Ac duo primi libri aliquanto post Martialis (Quintiliani quoque fortasse)[2]) aetatem — secundo igitur si conicere licet p. Chr. saeculo — illis aucti sunt variorum scriptorum carminibus in unam informem, ut ita dicam, appendicem (nunc libros tertium et quartum) contextis: Ita enim illo tempore editor (nescimus quis) quaecunque ad Tibullum et Messallam pertinere videbantur colligens — sive haec carmina seorsum antea iam edita fuerant, sive alio nomine tradita sive non edita et in tenebris latentia tum primum edebantur — vel excitatus a quodam litterarum tutore vel sponte negotium suum confecit. Atque ordo appendicis

[1]) Rationes quae indercedunt inter Birtii quaestiones eas quae pertinent ad Martialem (l. l. p. 81 sqq.) easque quae de traditione Tibulli instituuntur (p. 426 sqq.) non satis definitae esse videntur.

[2]) Quem vix crediderim Tibullum primum elegiacum habiturum fuisse (inst. or. X, 1, 93), si elegias quas Lygdami esse scimus et panegyricum in Tibullianis legisset.

quodammodo turbatus utrumque docet, et editionem hanc alteram longo temporis intervallo segregari a prima, quae duos libros genuinos continebat, et editorem qui curavit hominem admodum rudem fuisse; qui, quamquam testes iam non exstabant, tamen ne ipse quidem is fuit, qui naturas variorum poetarum discerneret. Genuina enim ea quae nos quidem habemus (IV, cc. 2—7; 13, 14) interpositis Lygdamo et panegyrico vilissimo in exeunte fere appendice posuit. Iam quomodo corpus Tibullianum inde a saeculo secundo propagatum sit bifariam licet iudicare, si quidnam moverit monachos excerpta illa facientes, ut quae apud Lygdamum leguntur ea Tibulli libro secundo adscriberent, explicare volumus. Editorem illum sumi potest aut totam appendicem quam ipse edidit ut tertium volumen (continens 683 vv.) primis duobus (810 vv.; 428 vv.) iterum editis addidisse, aut cum secundo, quod primo erat brevius, in unum comprehendisse non solum Lygdami elegias, sed etiam[1]) ea carmina quae hodie quarti libri vocantur. Et hoc quidem illo verisimilius esse videtur. Duo igitur tum volumina Tibulliana — venia detur ita vocanti — in lucem prodisse videntur, primum versuum 810, secundum 428 + 290 (Lygd.) + 211 (Paneg.) + 154 (cycl. et Sulpic. epp.) + 28 (IV, 13; 14) = 1111. Quo fieri potuit ut „liber secundus“ olim ad sex elegias Tibullianas, quas ipse poeta ediderat, pertinens multo latius pateret genuina spuriaque complexus, quamquam fortasse editor ne voluerat quidem rem ita accipi; quam quidem partitionem, cum medio quod dicitur aevo ineunte ex voluminibus in codices textus abiret[2]), servatam esse non est quod negemus. Namque nisi hoc modo quod ei, qui ex-

---

[1]) Tum igitur factum esse concedi potest id, quod paulo post Tibulli mortem — ita Birtius — nullo modo permittebatur.

[2]) De codice Santeniano qui exhibet „*Albi Tibulli lib. II*“ dubitaveris. Ac Hauptius quidem vir humanissimus (l. l.) coniecit exemplar integrum non fuisse, cum duo tantummodo libri numerarentur. Quaestio pendet ex eo, ut qualis fuerit finis libri secundi demonstretur. Quodsi respicimus hunc codicem multo maiorem esse excerptis, facere non possumus quin credamus, significari non solum eos quos nunc vocamus libros duos, sed primum et

cerpta illa fecerunt, Lygdami versus laudabant inscribentes „*in eodem*" i. e. *secundo* non explicatur. Neque enim quod conicit Hillerus (l. l.) mihi arridet, iam tum Lygdamum et quae sequuntur notas suas habuisse et negligentiae eorum qui excerpebant tribuendum esse, quod „*in eodem*" scripsissent Lygdamum laudantes. Quos existimo, si notam „*liber tertius*" in eo codice ex quo excerpebant legissent, Lygdamum ita laudaturos fuisse. Et respiciendum est illud „*in eodem*" non semel vel bis occurrere sed quindecies, quod spectare videtur ad certas rationes quas illi secuti sunt. Qui quod panegyricum ipsum laudabant „*in panegyrico Messallae*" explicatur ex eo, quod hic iam pridem hanc notam suam habebat. Atque hunc tertii libri unquam initium fuisse verisimile non est: nam qui alteram illam editionem paravit non habuit certe, quod ab eis quae antecedebant elegiis hoc carmen segregaret.

Excerptorum igitur fide cum nitamur, persuasum habemus illud „*in eodem*" errori non recte tribui et conicimus in codicibus, qui recentiores sunt, illis notam eam quae legitur „*liber tertius*" non veteri traditioni deberi, sed (XIV fere saeculo) inscriptam esse a librario qui, intelligens in elegia „*Martis Romani festae venere kalendae sqq.*" et sequentibus de condicionibus prorsus aliis agi atque in eis quae antecedebant ad Nemesim spectantes, hoc loco gravius incidendum curavit itaque, quamquam ipse non perspiciebat haec carmina alius esse poetae, viam tamen inscius aliis monstravit. Quo fit ut tres libri in codicibus melioribus tradantur; etenim „*liber quartus*" quem vocare solemus, teste nullo nititur nisi eo, qui XV saeculo iterum (inter Lygdami elegias et panegyricum Messallae

---

secundum appendice illa informi auctos. Ceterum ne certum quidem mihi videtur esse, quod exploratum habent cum Hauptio plerique, eum qui catalogum hunc confecit plures libros respexisse. Scribit enim: „*Albi Tibulli lib. II.* Atque non negligendum videtur eum si plures libros significat, perscribere „*libri*". Spectavit igitur fortasse non ad duos libros sed ad unum secundum. Quare non rectum est — opinor — ex hac commemoratione colligere, nono saeculo sive duos tantummodo libros extitisse sive integrum hoc exemplar non fuisse.

sqq.) incidit. — Sed harum rerum „sunt certi denique fines“. Neque enim fieri potest nec poterit, opinor, ut quae testibus deficientibus lubrica sunt et admodum incerta ea certa reddantur, neque meum est hoc loco longius disserere. Sed Birtii coniecturis, quae ipsae „brevitate“ libri secundi motae sunt, excitati officium subire necessarium esse putavimns, ut quae probabilitate niti viderentur quae vana essent diiudicaremus et ad quem gradum verisimilitudinis in his rebus liceret accedere exponeremus. Id autem probabiliter demonstrasse mihi videor, quod statuit Birtius non multo post Tibulli mortem Lygdamum libro secundo Tibulliano a Sosiis adiectum cum eo in unum coaluisse, stare non posse. Iamque videmus virum doctum in hunc errorem deductum esse eo, quod numerum vv. 428 plus aequo respiciens num res brevitati responderent non investigavit; quo factum est ut acute de Martialis epigrammate illo sentiens operae fructum non ita ut par erat caperet.

Quod Birtius non subiit id munus suscepit Hillerus vir de Tibullo praeter ceteros meritus; qui cum illius coniecturas ex parte refutaverit ipse quid sentiat de libri secundi ambitu „minore“ aperit ita (l. l. p. 352 sq.): „*Das zweite Buch aber ist, wie man mit Recht annimmt, nach dem Tode des Dichters herausgegeben; wenn nun der Herausgeber eine grössere Zahl von Tibullischen Gedichten zunächst nicht auftreiben konnte, was blieb ihm anders übrig, als das ihm vorliegende zu veröffentlichen, so viel oder so wenig es nun einmal war?*“ Quam sententiam in editione quam ipse curavit repetit ita: „*Brevitas libri secundi ex eo explicanda videtur, quod haec carmina post mortem poetae collecta et in libri formam redacta sunt*“ (ed. p. XIII). At nos quidem de editione libri a quo facta esset supra disseruimus; hanc igitur disputationis partem iam mittamus. Criticos autem opinor, quod epicedii Ovidiani sententias eas (vv. 31. 32; 57. 58) de quibus egimus non recte perspexerunt, id maxime deduxisse eo ut „brevitatem“ quoque gravissime carperent. Sed hic qui incusatur ambitus minor, cum per se offensioni non esse videatur, suas habet causas nulloque modo

credi potest hunc librum temere in lucem emissum esse, quippe quem poeta ediderit ipse — non paulo ante mortem nimis festinanter morbo oppressus, sed aliquot fortasse annis priusqum e vita discederet. Et ne tum quidem, si concedimus librum post obitum Tibulli ab editore quodam in lucem emissum esse, quod coniecerunt illi de statu incondito universo id in librum hunc cadit; qui et ipse concinnus minori ambitui ita respondet, ut editor, si cui fuisset curae librum ex schedis Albii morte oppressi publici iuris facere, nil nisi simplicissimum munus subire posset quod accepit opusculum quam perfectissimum ut erat integrum in publicum reddendi. — Tum autem si in librorum Tibulli primi et secundi argumenta inquisiverimus, ex comparatis intelligemus quomodo factum sit ut secundus ambitum primo dimidio fere minorem haberet. Tibullus enim cum a. 727/27 librum primum edendum curaret, quaecunque usque ad huius anni autumnum scripserat in libri formam redegit; quo factum est ut, quae re diversissima erant ea voluminis tamen vinclo communi coniungerentur: elegiae in Marathum scriptae tres IV VIII IX, carmen X quod timorem belli reique rusticae pacisque amorem depingit, elegiae Deliae quinque III I V II VI, elegia VII ob honorem Messallae composita; quanta varietas! Contra in libro secundo res multo simpliciores ut dicam leguntur: primo loco positum est carmen quod Ambarvalia illustrat, sequuntur elegia brevissima in Cornuti amici diem natalem interposita quattuor elegiae III IV V VI in quibus Nemesis occurrit (ad quam in V quoque ex alio argumento profectus exeunte tamen redit Tibullus). Qui liber ut numero carminum ita rebus quae depinguntur illo minor est atque inferior. Scripserat adulescens, ut supra (p. 24 sq.) demonstrare conati sumus, Tibullus tres illas in Marathum puerum elegias, quas, quamquam non diutius in talibus argumentis versabatur pauloque post ad meliora (el. X sqq.) accedebat, tamen cum librum editurus esset inseruit quod quoniam composuerat edendi data facultate retinere noluit; quibus (246 vv.) copiose admodum descriptis quod respondeat in secundo libro frustra requiras. Haec autem

carmina tria ab omnibus quae postea composuit Tibullus satis abhorrentia unaque ea qua diximus ratione libro primo innexa si excipimus, elegiae quae utroque libro continentur non modo numero[1]) paulo aequabiliores universae videntur esse, sed etiam rebus ipsis magna ex parte sibi respondent. Suum uterque continet carmen natalicium. Ac libri primi quidem carmen VII cum scriptum sit in diem natalem Messallae fautoris potentissimi non est quod miremur quod 64 vv. habet: libri secundi autem carmine II Cornutum qui celebratur familiarem nec oportebat nec iuvabat pluribus effere; sufficiebant vv. 22. In fine libri primi positum est c. X quod spirat animum amore ruris pacisque beatissimum: cui nescio quo pacto videtur respondere id quod in fronte secundi legimus c. I festum diem, qui ad rura spectat, illustrans ipsumque ambitu non plus aequo ab illo abhorret. Restant gravissima utriusque libri carmina, Deliae primi secundi Nemeseos quattuor haec illa quinque, secundi singula quoque (praeter V) versuum numero minora. Quod qui factum sit facile intelligitur si respicimus quantopere Deliae differant a Nemeseos amoribus. Etenim cum in Deliae elegiis quinque varient fructus clades, laetitia maeror, preces exsecrationes, illaque depingatur primum vidua tum ab amatore irretita denique nupta — elegiae Nemeseos omnes aequalia scilicet tristia illustrant: Tibullus semper rogat, nunquam auditur, ita ut mirari fere possis quomodo contigerit poetae, ut amores qui spem nullam praeberent tot versibus (316) persequeretur — quamquam ipsum hunc numerum minuamus oportet, cum carminis V maxima pars alia argumenta tractet. Illa igitur — Deliae libri primi — argumenta quae copiosius depingerentur per se dignissima atque aptissima fuerunt, haec — Nemeseos libri secundi — descriptionis varietatem non ita excitaverunt, et videmus omnia efficere id ut liber secundus et numeris et rebus primo minor fieret. Quare persuasum habeo „brevitatem“ huius non modo non offensioni

[1]) Libri primi elegg. X III I V II VI VII = 564 vv. Libri secundi elegg. = 428 vv.

esse sed argumentis ipsis optime probari. — Neque vero habemus quod huius libri carmina quaedam periisse suspicemur[1]). Etenim haec quoque coniectura ex eo videtur orta esse, quod statum libri quem habemus inconditum et impolitum esse opinabantur. Quod quidem hoc loco non refellam, elegiasque singulas quam politissimas esse et consulto a poeta digestas publici iuris faciente me demonstraturum Tibullumque criticorum criminibus liberaturum spero, ut dixi (s. p. 26 n. 1), alias.

Hoc autem loco id satis habui, ut ex Ovidii epicedio Tibulli librum secundum ab elegiaco ipso editum esse colligerem et brevitatem eius, quam viri docti incusabant, rebus quae insunt defenderem. Quod si eis, qui harum rerum me peritiores sunt, sive plane sive ex parte ut persuaderem mihi contigerit, operae pretium quam maximum videbor cepisse.

---

1) Hiller. l. l. p. 353 n. 1.

Appendix.

(cf. p. 67 n. 1.)

De Martialis epigr. XIV, 193 quod inscribitur „Tibullus".

Priusquam ad ipsum epigramma 193 aggrediar, pauca de condicionibus Martialis libri quarti decimi praemittenda esse videntur.

Apophoreta, quae hoc libro continentur, qua ratione disposita sint satis constat, cum poeta ipse paucis in fronte exposuerit his:

XIV, 1, 5 sq.:

divitis alternas et pauperis accipe sortes:
praemia convivae dent sua quisque suo.

Et haec quidem dona quae initium capiunt inde ab epigrammate 3 divitis pauperisque per totum librum generatim digesta esse a poeta verisimile est, praesertim cum inde ab epigr. 170 usque ad extremum 223 tria genera satis clare segregata (artificiorum 170—182, librorum 183—196, quae ad domum pertinent 197—223) tradi pateat. Iam quaeritur num adhuc fieri possit, ut bina dona quae sibi respondeant per totum librum digesta primo obtutu inveniantur. Quod negare debemus. Etenim cum numeri et universi libri apophoretorum (3—223) et, ut pauca exempla afferam e multis, ex classibus tribus quas laudavi duae (170—182; 197—223) impares sint, sumendum est aut poetam, quod in primo epigrammate pollicitus erat, per totum librum non plane praestitisse, aut in

codicibus hic illic apophoreta quaedam excidisse. Iam utrum rectius sumas dubium non est; et qui nuper Martialem eisdem fere temporibus ediderunt multa secum communicantes Friedlaenderus (l. l. vol. II p. 295—300) et Gilbertus[1]) compertum habent librum multis lacunis depravatum esse. Atque apparet, praesertim cum binis epigrammatibus bini versus responderent, neglegentia librariorum facile fieri potuisse ut quaedam exciderent. Quod saepissime videtur factum esse in parte ea quae spectat inde a 3 usque ad 169, cum donorum genera, quantum adhuc perspicere licet, quamqam non plane defuerunt non aeque tamen ac reliqua (170—223) certa et distincta fuisse verisimile sit; quo factum est ut librarii legem ordinis admodum difficilem non intelligentes, temere transscribentes et donorum non raro vulgarium serie haud scio an defatigati, minus diligenter curarent ut divitis dono pauperis ubique responderet. Quamquam meum non est in hac libri parte digerenda num Friedlaenderus et Gilbertus, inter quos semper fere, ut leviora omittam, de lacunis statuendis vel epigrammatibus transponendis convenit, omnia recte statuerint examinare, unum tamen monuerim quod viri hi humanissimi, persuasum habentes per totum librum ordinem fuisse eum ut praecederet utique divitis donum (D), sequeretur pauperis (P)[2]), ubicunque hunc ordinem $\underbrace{DP}\ \underbrace{DP}\ \underbrace{DP}$ . . . . desiderabant, vitium extare sumentes si transpositiones nil iuvare videbantur lacunas statuendas esse iudicabant. Vereor enim ne viri docti adeo constantes super modum transierint. Etenim si in libris legitur hic ordo D P P D vel P D D P et primo obtutu talis esse, et sententiarum quae insunt et lemmatum quae inscripta sunt ratione habita, ad epigrammata optime quadrare videtur, lubricum esse crediderim inversam hanc rationem a poetae consilio abiudicare et lacunae signo posito quae re contineri videntur ea ob formam, ut certam, per vim distinere itaque ordinem statuere hunc: $\underbrace{D\ P}\ \underbrace{\langle D\rangle\ P}\ \underbrace{\langle D\ P\rangle}$.

[1]) M. Valerii Martialis epigrammaton libri. Lips. 1886, p. XXXI sq.
[2]) Notis utor eisdem ac Friedlaenderus.

Et dona quidem, quae responsioni inserviunt, quamquam plurifariam eiusmodi sunt ut vel genere vel materia ipsa aliqua ex parte cohaereant (praeter tres illas classes 170—223 cf. 12 et 13, 43 et 44 al.), respiciendum est ea quoque legi quae nulla ratione cohaereant nisi ea, quod alterum donum altero per se ipsum videtur pretiosius esse. Videtur — dico, neque enim, si res genere vel materia prorsus diversae opponuntur, facile est utrum vilius sit utrum pretiosius certe diiudicatu. Et quamquam angustias, quae tali modo parari videntur, facile effugeris si lacunas unius vel plurium epigrammaton posueris, ad eam tamen rationem criticam, quae ultima semper est, ne saepius refugiatur cavendum esse puto, praesertim si id quoque respicitur, Martialem non raro res vel personas illius temporis sive publicas sive privatas iocare, quarum cognitionem plenam iam non habemus; quo fieri potest ut, quae ille consilio haud scio an certo respondentia fecit epigrammata, nos ad quid spectaverint non intelligamus.

Haec de universi libri condicionibus placuit praemittere ut minore suspicione, quae quidem spectet ad ordinem apophoretorum, de ea parte libri in qua legitur epigr. 193 disseratur.

Epigrammata quae pertinent ad libros 183—196 ita inscripta sunt:

(P)	(D)
183. *Homeri Batrachomyomachia.*	184. *Homerus in pugillaribus membranis.*
185. *Vergili Culex.*	186. *Vergilius in membranis.*
187. *Μενάνδρου Θαΐς.*	188. *Cicero in membranis.*
189. *Monobiblos Properti.*	190. *Titus Livius in membranis.*
191. *Sallustius.*	192. *Ovidi Metamorphoses in membranis.*
(D)	**(P)**
193. *Tibullus.*	194. *Lucanus.*
195. *Catullus.*	196. *Calvi de aquae frididae usu.*

Iam inscripsi notas eas quas rectas esse censeo ac demonstrabo. Quattuordecim apophoreta sunt, i. e. paria septem divitis ac pauperis dona quae sibi ita ut iuxta posui respondere videntur; ex numero igitur primo obtutu nihil vitii redundat, et si quis his responsionibus non contentus lacunas odoratur, non sufficit unum excidisse apophoreton credere, sed duo vel quattuor vel sex desiderentur oportet, quod per se veri dissimillimum est. Sed in auxilio numeri paris non plus aequo haeserim, cum gravius sit primum examinare num lemmata, quae inscripta sunt his apophoretis, et ipsae res quae insunt eam quam significavi responsionem probent.

Ac Birtius quidem vir doctissimus, qui in ea parte libri sui quam inscripsit „*Das Pergament*" in apophoretis quoque versabatur, libros hos, cum de lacunis non cogitans id tamen studeret ut ordinem D P D P ab initio ad finem persequeretur, ita segregavit (l. l. p. 80):

(D)	(P)
183. *Homeri Batrachomyomachia.*	184. *Homerus in pugillaribus membranis.*
185. *Vergili Culex.*	186. *Vergilius in membranis.*
187. *Μενάνδρου Θαΐς.*	188. *Cicero in membranis.*
189. *Monobiblos Properti.*	190. *Titus Livius in membranis.*
191. *Sallustius.*	192. *Ovidi Metamorphoses in membranis.*
193. *Tibullus.*	194. *Lucanus.*
195. *Catullus.*	196. *Calvi de aquae frigidae usu.*

De apophoretorum 193—196 pretiis vir doctus recte sensit; non ita de eis quae antecedunt. Namque in errorem incidit eo, quod rationes quae intercedunt inter papyrum (nn. 183, 185, 187, 189, 191) et membranam (nn. 184, 186, 188, 190, 192), utra pretiosior esset, invertit. Ex eis autem quae Marquardtius et Mavius viri doctissimi contulerunt (l. l. p. 822) patet[1])

1) Plerique, Friedlaenderus quoque, adstipulantur (cf. huius edit. p. 299 et Litter. Centralbl. 1882, p. 1114).

membranam tum fuisse pretiosiorem, viliorem papyrum. Hunc errorem evitans Friedlaenderus, cum ordinem D P D P utique servandum esse censeret neque sibi persuadere posset seriem esse plenam, in alium tamen recidit; rationem autem inter divitis et pauperis dona iudicavit, aliqua ex parte recte, quamquam transponere non debuit, intercedere hanc (l. l. p. 300):[1])

(D)	(P)
184. *Homerus in pugillaribus membranis.*	183. *Homeri Batrachomyomachia.*
186. *Vergilius in membranis.*	185. *Vergili Culex.*
———	187. ***Μενάνδρου Θαΐς.***
188. *Cicero in membranis.*	———
———	189. *Monobiblos Properti.*
190. *Titus Livius in membranis.*	191. *Sallustius.*
192. *Ovidii Metamorphoses in membranis.*	193. *Tibullus.*
194. *Lucanus.*	195. *Catullus.*
———	196. *Calvi de aquae frigidae usu.*

Critici utriusque conspectum exscripsi quo facilius quae inter paria distichorum intercedant rationes examinantes intueamur. In utroque autem recta falsaque mixta videntur esse; quae equidem diiudicare eo qui traditur ordine servato conabor.

Initium capit cyclus a singulis distichis quae ad Homerum spectant — nam Batrachomyomachiam Homeri esse tum credebant — sequuntur, quae ad Vergilium singula, ita quidem ut minori operi et viliori maius pretiosiusque opponatur (nn. 183—186):

(P)	(D)
183. *Homeri Batrachomyomachia.*	184. *Homerus in pugillaribus membranis.*
185. *Vergili Culex.*	186. *Vergilius in membranis.*

———

[1]) Aliter Gilbertus (l. l. p. XXXII), qui plura suspicatur excidisse.

De his vix quisquam, nisi illa opinione ductus, aliter senserit, atque luce est clarius Birtium erravisse Batrachomyomachiam et Culicem opuscula minutissima diviti, ut in papyro scripta, tribuentem, Homeri Iliadem et Odysseam, Vergilii Aeneidem opera heroica pauperi. Sed de distichis sex quae sequuntur (187—192) iam dubitaveris; et suspicabantur ita ut significavi critici aliquot excidisse, videlicet cum cogitari non posset Martialem, qui bene initium cepisset id, ut binorum poetarum (praesertim finitimorum Homeri et Vergilii epicorum) opera bina compararet, tum scriptores ingenio et genere scribendi diversissimos Menandrum Ciceronem, Propertium Livium, Sallustium Ovidium tali ordine inter se comparasse. Sed iam dixi, cum in reliquis huius libri partibus talia, nisi quis ad ultimam illam rationem lubricam lacunas statuendi semper recurrit, non raro obveniant, in iis non recte haesitari. Sane concedendum est primo obtutu inopinatum illuc accidere, quod si codicum ordinem servamus Menandro Cicero, Livius Propertio, Ovidio Sallustius opponuntur, et facile est ad intelligendum quae rationes moverint Friedlaenderum, ut scriptores genere scribendi similes a Martiale oppositos esse sentiret Livium Sallustio rerum scriptores, Tibullo Ovidium poetas. Et concedo fieri potuisse, ut librarius cum saepius in lemmatibus legeret adiecta haec „*in membranis*“ oculis deceptus unum vel plura omitteret; sed miserrimus hic iam fuit librarius, qui epigrammata 183—196 orbem suum efficere non ignorans et pauperis dono divitis semper respondere, ex quattuordecim quattuor silentio praeteriret![1]) Neque tamen ea, quam proposuit Friedlaenderus, ratione omni ex parte eiusdem generis scriptores evadunt, cum Metamorphosibus Ovidii car-

[1]) Neque vero obliviscendum est, his quattuordecim apophoretis Martialis ingeniosissimi et facetissimi scriptoris de clarissimis, qui ante ipsum fuerunt, et Graecis et Romanis scriptoribus iudicia, tam breviter quam acute dicta, contineri. Quae quidem monachum cum describeret, quamquam in reliquis libri partibus, sed non aequo modo gravibus, non satis attentum se praebuit, adeo non respexisse ut viri docti opinabantur negaverim.

mini epico (non elegiis) Tibulli elegiarum libri duo primi (cf. s. p. 65 sqq.) opponantur, neque vero hic ordo, per se ne verisimilis quidem, potest restitui nisi sumitur supra et infra plura excidisse; etenim ut Menandri Thaidi et monobiblo Propertii dona desunt quae opponantur pretiosiora, ita Ciceroni donum vilius quod respondeat requiritur (de Catullo et Calvo cf. i. p. 83 sq.). Dubitationes igitur quae extare videbantur non tolluntur, immo novae parantur. At si hoc ipsum conceditur omnino potuisse fieri, quod crediderim, aeque ac in aliis libri partibus res genere diversae ut non solum poetae poetis, historici historicis opponerentur, sed etiam poetae historicis et vice versa historici poetis, iam consentaneum est fabulam Menandri per se pretiosissimam minoris tamen fuisse Cicerone, sive credimus ad universum Ciceronem Martialem spectavisse sive ad complura volumina, quem qui habet „*longam viam carpturus esset*“, item Propertii monobiblum, sive librum primum quod plerique credunt sive totum Propertium — quod h. l. non diiudico — non ita amplum quamquam lepidissimum opere Livii, Sallustium, praesertim si non totus sed historiarum libri quinque significantur, minoris Ovidii Metamorphosibus celeberrimis quindecim libros continentibus. Haec igitur dona inde a 187 ad 192 per se omnia pretiosa sunt, quae tamen Martialis, opinor, ita digessit ut diviti ea quae ambitu quoque maiora sunt, pauperi quae minora tribueret. Et quamquam negari non potest quattuor prima 183—186, cum utrumque pretium (et quod spectat ad ambitum quodque ad qualitatem) bene concidat, aptiora nobis iudicibus videri quae opponantur quam haec 187—192, tamen in his quae alteram tantummodo rationem sequantur non gravius haeserim. Id autem certum est Birtii rationes, si tenemus membranam pluris fuisse papyro, reiciendas esse; neque enim quidquam iam restat tum quod probet Menandri Thaidem Cicerone, Propertii monobiblum Livio, Ovidio Sallustium pluris habuisse Martialem et diviti tribuisse. Et accedit quod extrinsecus probari videtur ordinem, qui legitur in codicibus, prorsus integrum esse. Legimus enim in titulis, de quibus, cum ipse

inscripserit Martialis (cf. XIV, 2, v. 1, 2), dubitare nefas, numerorum parium 184 186 188 190 192 „*in membranis*“; impares autem qui respondent 183 185 187 189 191 scriptoris tantum vel nomen vel opus vel utrumque exhibent. Quod casui non tribuerim; sed credo poetam, cum in fronte cycli Homeri carmina heroica duo et Vergilii Aeneidem per se utique Batrachomyomachia et Culice pretiosiora materia membranae papyri meliore re vera esse firmaret, in reliquis, quamquam genera scriptorum variabat, tenentem materiae discrimina quae dona pretiosiora haberet satis clare significasse. Teneamus igitur apophoretorum 183—192 ordinem integrum servatum esse eum ut pauperis donum vilius (P) praecederet, pretiosius divitis (D) sequeretur: impares numeri pauperi tribuendi sunt, diviti pares, quibus materiae melioris nota in lemmate adicitur.

Restant nn. 193—196.

Haec apophoreta quattuor quodammodo ab eis quae antecedunt decem seiungi videntur. Etenim his omnino deest additamentum illud, quo decem donorum quae antecedunt meliora tamquam communi vinclo comprehenduntur, „*in membranis*“; quod quispiam coniciat neglegentiae librariorum tribuendum esse. Hoc videtur sensisse Gilbertus suspicatus (l. l. p. XXXIV) lemma n. 194 fuisse hoc „*Lucanus in membranis*“, opinatus videlicet hoc donum esse pretiosius quod respondeat vili 195: „*Catullus*“, n. 193 autem „*Tibullus*“ vile cui opponatur melius 192 „*Ovidii Metamorphoses in membranis*“. Distichon autem 192 non cum sequentibus cohaerere sed ad 191 referendum esse exposuimus, neque habemus quod vinclum illud commune nn. 183—192 epigrammate 192 abrepto ex parte deleamus. Quae coniectura minus probabilis est, quod ipsa ad novas coniecturas ut refugiamus cogit: etenim ne quid in fine deesset Friedlaenderus et Gilbertus facere non potuerunt, quin ante n. 196 unum excidisse sumerent. Quare utilius videtur quaerere, num quae rationes, si ordinem qui traditur integrum habemus, intercedant et quales inter Tibullum et Lucanum, Catullum et Calvum. Iam cum nota materiae re-

quiratur, verisimile esse existimo Martialem hos quattuor scriptores ipsorum pretio metiri voluisse itaque qui minoris ingenii fuerunt pauperi, qui spectati fuerunt eos diviti tribuisse. Quae quidem ratio qualis fuerit, si non ex ipso titulo qui poetam nominat ,tamen ex sententiis quae insunt in hexametro et pentametro cum probabilitate videtur apparere. Etenim quamquam facile adducimur ut aequabilitatis formae rationem i. e. ordinem PD PD, quippe qui inde a 183 usque ad 192 constanter servetur, ad reliqua quoque dona 193—196 referamus, tamen si respicimus quid nascatur:

(P)	(D)
193. *Tibullus.*	194. *Lucanus.*
195. *Catullus.*	196. *Calvi de aquae frigidae usu.*

dubitemus oportet. Quis enim crediderit Lucanum poetam mediocrem a Martiale pluris habitum esse Tibullo lepidissimo, Calvi carmen quoddam (didacticum videtur) pluris Catulli libro verae poeseos plenissimo? In his quidem optime, opinor cognoscitur, quo ratio lacunas statuendi, quae cum 192 ad 193 — non recte — rettulisset cogebatur 195 ab 196 seiungere, deducat. Ac primum quidem, ut ex fine initium capiam, nil fuit magis consentaneum quam ut Catullo (195) Calvus (196) opponeretur; qui scriptores, cum eisdem fere temporibus fuerint in eodem genere scribendi versati sint ab Horatio Propertio Ovidio aliis saepius alter cum altero laudati, tam finitimi fuisse videntur ut segregari fere non possent[1]. Cur igitur qui natura cohaerent per vim segregemus, praesertim cum extrinsecus nil obstet? Opponuntur quattuor poetae, quare quodammodo facilius est quae rationes inter singulos intercedant h. l. discernere quam supra inter poetas et historicos. Iam quidem Lucanum minus aptum esse qui Catullo opponatur quam Calvum in promptu est, nec statuissent in contrariam partem viri docti, nisi opinione ordinis turbati et lacunosi ducti essent. Quod si certum est Catullum et Calvum omnino bene inter se com-

[1]) cf. quae collegit Teuffelius, R L G.⁴ p. 414, § 213, 7.

parari ita ut alter diviti alter pauperi tribuatur, uter locum teneat superiorem si respicimus veterum iudicia, tum totum Catullum libello cuidam Calvi opponi similiter ac supra — quamquam eorundem qui credebantur poetarum — libros (183—186), denique ipsorum epigrammatum sententias, non dubium est: „*Catullus*“ (195) donum divitis est, Calvi „*de aquae frigidae usu*“ (196) pauperis. —

Omnibus distichis inde ab 183 ad 192 et duobus extremis 195 196 perlustratis relinquuntur duo: „*Tibullus*“ (193) et „*Lucanus*“ (194).

Ac Tibullum quidem ab Ovidio h. l. segregandum esse aeque ac Catullum a Lucano patefecimus; nunc quaeritur quae ratio inter Tibullum et Lucanum intercedat. Atque iudicibus nobis Tibullum poetam esse illo praestantiorem iam diximus; nec si quis dicat tempora et iudicia hominum mutari habemus quod veterum eos, qui veram poesin a verborum tumore scite segregabant, aliter sensisse credamus. Quorum extat testis gravissimus Quintilianus, qui, ut scriptorum iudex candidissimus, cum Tibullum inter elegiacos Romanos locum primum tenere dicat ita: „*elegia quoque Graecos provocamus, cuius mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus*“ (instit. orat. X, 1, 93), de Lucano ita sentit (ibid. 90): „*Lucanus ardens et concitatus et sententiis clarissimus et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis imitandus*,“ laudans igitur ex parte, id autem, quod gravissimum est, vituperans quod poeta non fuerit. Sed adnotat ad hoc epigramma Friedlaenderus vir humanissimus: „*Die uns erhaltenen Aussprüche Quintilians und anderer*[1], *daſs Lucan nicht zu den Dichtern zu rechnen sei, sind sämtlich später*“; quod tamen non idoneum est quod probet, epigramma quod inscribitur „*Lucanus*“ nota D signandum esse. Iam videamus quae insint sententiae:

sunt quidam, qui me dicant non esse poetam:
sed qui me vendit bibliopola putat.

---

[1]) cf. Teuffel. R L G⁴ p. 685, § 303, 5.

Quae mihi quidem non sine quadam ironia videntur dici: bibliopola qui vendit libros meos, ita Martialis Lucanum facit loquentem, putat poetam me esse, quamquam alii negant i. e. bibliopolae non ex ingenio poetarum qui scripserunt quanti sint aestimant, sed ex venditione quae ipsis usui est, nec curam habent eorum qui, et recte quidem ut peritiores, negant quendam poetam esse. Pervulgatos autem atque vendibiles Lucani libros tum fuisse ex eo facile intelligitur quod a Martialis aetate non longius aberant et, cum in discipulorum usum reciperentur quibus res quae in Pharsalia narrantur melius conveniebant quam Tibulli carmina amatoria, vigebant, cum elegiaci libri duo qui epigr. 193 significantur iterum non iam editi essent ideoque rari et pretiosissimi facti (cf. s. p. 67[1])). Vulgo igitur patet Lucani libros, cum magis pervulgati essent, pluris aestimatos esse Tibulli duobus, quorum pauci tum videntur notitiam habuisse. Sed qui habebant Martialis Quintilianus[2]) alii digniorem ipsi iudicabant, quam ut Lucanum, quamquam bibliopolae vendibiliorem habebant, poetam illi praeferrent. Sententiae igitur probant, Tibullum nota D, Lucanum P notandum esse. Nihil autem offendit quod Tibullus elegiarum scriptor et Lucanus qui res versibus descripsit iuxta ponuntur, si rationes respicimus quae intercedunt inter paria distichorum nn. 187—192, neque vero quod, si obitus utriusque rationem habemus, spatio nonaginta fere annorum segregantur. Immo coniecerim Martialem aliud quoque consilium esse secutum; Lucanus enim, cum viginti sex annos natus diem supremum obiret, varia iam scripserat, ex quibus Pharsalia carmen epicum, ad quod Martialem spectavisse verisimile est, decem libros non ita tenues continens extat: contra Tibullus, qui quamquam „*iuvenis*“ mortuus est decem tamen fere annorum aetate illum superabat, perpauca sed

---

[1]) Hoc quamquam acute iudicat Birtius vir humanissimus, de significatione tamen verborum „*bibliopola putat*“ non recte sensisse eum Friedlaenderus ad h. l. apte adnotat.

[2]) Quintiliani iudicium, quamquam paucis annis posterius fuit, Martialis hac sententia ductum esse non est quod coniciamus.

amoena scripsit et posteris reliquit. Quo modo non inique mihi videtur intelligi praeter ceteros cur hos ipsos poetas Martialis opposuerit quaque ratione de eis iudicaverit.

Persuasum igitur habeo apophoretorum quae quidem spectent ad libros 183—196 ordinem nec turbatum esse nec lacunis depravatum, integrumque ita ut inde a 183 ad 192 sit PD PD sqq., tum invertatur inde a 193 ad 196 DP DP. Quod si hoc malum esse iudicant ei, qui per totum librum ordinem DP DP constanter utique constituendum esse sibi persuaserunt, tamen codicibus, quod plurimum h. l. iuvat, credi maluerim, ut libidinem lacunas hic illic statuendi, in quo quot capita tot sensus, effugiam, et, quod gravius est, sententiis, quae epigrammatibus continentur idem probantibus; namque ex pluribus malis — si omnino malum restat, quod nego — minimum oportet eligatur. Aliud quoque monuerim, quod, si hunc quem demonstravi ordinem sequimur, non fugit: symmetriam quandam huius classis quae ad libros spectat evadere. Incipit Martialis a poetarum binorum eorundem operibus (183—186), in fine ponit binorum poetarum quamquam non eorundem ea tamen qua diximus ratione finitimorum opera (193—196): in medio autem leguntur terna epigrammata quibus prosae orationis scriptores opponuntur poetis (187—192). Sed dixerit quis hoc nil valere et forti esse tribuendum; quod non crediderim. Et si recte creditur id consilium certum poetae fuisse, non modo quod in media parte varii scriptores miscentur explicatur, sed omnino multo certius, quod per se sat certum esse videtur, firmatur de fide ordinis non dubitandum esse. Qua quidem quaestione per se fortasse non inutili universiore id quod volui mihi videor demonstrasse, suo loco positum ac diviti tribuendum esse epigramma 193 quod inscribitur „*Tibullus*“.

Theses.

1. Aesch. Ag. v. 7:

   ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν

   quem plerique damnabant, genuinum habeo.
2. ibid. vv. 337—40 (Weckl.):

   οἱ μὲν γὰρ ἀμφὶ σώμασιν πεπτωκότες
   ἀνδρῶν κασιγνήτων τε καὶ φυταλμίων
   παῖδες γερόντων οὐκέτ' ἐξ ἐλευθέρου
   δέρης ἀποιμώζουσι φιλτάτων μόρον,

   a viris doctis aliis aliter temptati in cod. M. recte leguntur.
3. ibid. v. 1660 (Weckl.) probo lectionem cod. Veneti:

   δαίμονος χηλῇ βαρείᾳ δυστυχῶς πεπληγμένοι.

   Non recte Dindorfius Weilius alii Florentinum *χολῇ* exhibentem secuti sunt.
4. Aesch. Sept. ante v. 178 lacunam esse Dindorfius recte intellexit. Quam existimo nec Weilium versu quodam ex codicibus recentioribus recepto (cf. praef. ed. a. 1884, p. V) sustulisse nec Wecklinum, qui vv. 182/3 huc transferendos esse coniecit.
5. Soph. Ai. vv. 669/70:

   καὶ γὰρ τὰ δεινὰ καὶ τὰ καρτερώτατα
   τιμαῖς ὑπείκει sqq.

   in Laurentiano recte leguntur. Non apte Meklerus *ἑτοιμ'* coniecturam in textum Dindorfii recepit.
6. Plut. conviv. 7 (Plut. moral. ed. Bernardakis, Lips. 1888, vol. I. p. 371, 21) sic legendum esse censeo:

   . . *οἷα καὶ πρὸς ἡμᾶς εἰς Αἴγυπτον ἀπηγγέλθη περὶ Χίλωνος, ὡς ἄρα διαλύσαιτο τὴν πρὸς Σόλωνα φιλίαν καὶ ξενίαν, ὅτι τοὺς νόμους ὁ Σόλων ἔφη μετακινήτους εἶναι.*

   Hercherus coniecturam Doehneri *ἀμετακινήτους*, Bernardakis editor recentissimus Wyttenbachii *μὴ μετακινήτους* non recte probaverunt.

7. Sall. hist. or. Cott. 9 quae in Vaticano (3864) leguntur:
neque mox ingenio corporis honestius quam pro vestra salute finem vitae fecerim sqq.
aptum sensum praebent.
8. Hor. carm. III, 25 v. 9:
ex somnis stupet Euhias
ex codicum lectione depravata *exsomnis* Vahlenus bene restituit. Plerique Bentleium secuti *Edonis* scripserunt.
9. Tib. I, 2, v. 65 haec:
ferreus ille fuit, qui te cum posset habere sqq.
ad maritum Deliae spectant.
10. ibid. vv. 87/8 Leo probabiliter legendos esse proposuit ita:
at tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
mox tibi: non in nos saeviet usque deus.
Vulgo *uni* quod codices interpolati exhibent recipiebant.
11. Tib. I, 10 post v. 50, II, 3 p. vv. 34 et 58 lacunae quas plerique suspicabantur non extant. Tertio loco v. 59 Hillerus pro *nota*, quod male traditur, *vana* bene in textum recepit.
12. Cyclus Cerinthi et Sulpiciae (Tib. lib. IV, cc. 2—7) carmine VII optime clauditur; quod falso viri docti a Tibullo abiudicabant.

Vita.

Richard Eduard Emil Ullrich natus sum die 8 mensis Aprilis a. 1866 Potsdamiae patre Eduardo, quem praematura morte mihi ereptum lugeo, matre Mathilda e gente Geyer, quam adhuc superstitem esse gaudeo, fideique adscriptus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus in ludo quem vocant „höhere Bürgerschule“ qui adhuc floret Vogeli viri doctissimi auspiciis, cum parentes Berolinum migrassent in ludo quodam privato qui dicitur versatus vere anni 1875 in gymnasium Coloniense, quod tum floruit Adalberti Kuhnii † viri humanissimi nunc floret Francisci Kernii auspiciis, receptus sum. Quibus viris praestantissimis aliisque gymnasii praeceptoribus quantum debeam semper memor ero. Maturitatis testimonium vere anni 1884 adeptus die 15 mensis Aprilis numero civium Universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis ab Adolfo Kirchhoffio, viro illustrissimo, rectore magnifico adscriptus sum.

Per quinquennium fere deinde studiis philologis operam dedi. Docuerunt autem me viri doctissimi hi: Curtius, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Huebner, Kiepert, A. Kirchhoff, Koser, Lommatzsch, Paulsen, Roediger, Scherer †, de Treitschke, Vahlen, Weizsäcker, Zeller.

Seminarii regii philologi, quod floret Kirchhoffio et Vahleno directoribus, per ter sex menses sodalis fui ordinarius; praeterea ad exercitationes philologas Huebner et Vahlen, ad epigraphicas Kirchhoff, ad theodiscas Roediger Scherer Schroeder, ad historicas Koser aditum benigne mihi permiserunt.

Denique inde a vere a. 1885 sodalis fui societatis academicae philologae Berolinensis.

Gratias autem viris cum illis quos enumeravi, tum Dielsio Kirchhoffio denique Huebnero Vahleno quorum saepe adiutus sum benignis consiliis, ago candidissimas.

